image
not
available


VET TES EN
NOV TAM TVM
Dei
Sub Numine
Viget

IO. VALENTINI FRANCKII

PHILOS. D.

CALLINUS

SIVE

QUAESTIONIS

DE

ORIGINE CARMINIS ELEGIACI

TRACTATIO CRITICA.

ACCEDUNT

TYRTAEI RELIQUIAE

CUM

PROOEMIO ET CRITICA ANNOTATIONE.

ALTONAE ET LIPSIAE

SUMTIBUS I. F. HAMMERICH.

MDCCCXVI.

CAROLO. FRIDERICO. HEINRICHIO,

PROF. PUBL. ORD. KILIENSI,

VIRO CELEBERRIMO,

S. P. D.

IO. VALENT. FRANKIUS.

Quartus abhinc annus est, Heinrichi, Vir praestantissime, quum Tibi et qui praeterea iudices tunc erant a Rege Augustissimo constituti in distribuendis praemiis a Samuele Sciassio, nobilissimo Batavo, magnorum virorum, in his Graevii et Marquardi Gudii, amico, academiae nostrae iam dudum legatis, commentationem obtuli de historia carminis elegiaci apud veteres. Quae quum vasta esset scribendi materia, summatim omnia perstringere coactus eram.

Accepto praemio invitatus, et confirmatus tua auctoritate, ampliorem de hoc argumento apparatum colligere coepi, usus praecipue academicae nostrae bibliothecae opibus, in quibus aperiendis nosti et laudare consuesti singularem Kordesii nostri litteratissimi et quotidie melius merentis liberalitatem. Unde mox, ut fit, subnatum mihi consilium, partis cuiusdam historiae illius singillatim paullo copiosius accuratiusque tractandae. Animadverteram autem, nihil esse in hac historia, quod tali opera magis indigeret, quam ipsam elegiae originem, ideoque ad hanc potissimum colligendi curam ac diligentiam converti. Sic tantus paullatim materiae cumulus accrevit, ut in ipsa iam quaestione paratas opes dissimulare, quam novas conquirere, difficilius esset. Locuples vero haec materia magnum disputationis ambitum afferebat, in quo sedulo cavendum erat, ne impediretur continuae argumentationis series, si quid forte, quamlibet ad rem necessarium, loco attulissem parum idoneo. Quod quum saepius mihi accidisset (potest autem facillime in tanta rerum varietate), identidem vel integrum librum vel singulas eius partes retractavi, do-

nec tandem eum in ordinem, qui nunc obtinet, omnia redigerentur. Nec poenitebit me huius operae, si modo hoc fuerim consecutus, ut, si cui non insolitum fuerit, in alterius argumentandi rationem ita se insinuare, ut etiam per varias viae ambages (neque enim ubique, ut scis, praesertim in his litteris, trita rectaque via licet incedere) et per longum spinosae subinde disputationis tractum expedire se non defugiat, is igitur ut ne singula tantum quaestionis momenta ponderare, sed omnium etiam coniunctionem, ac finem, quo spectent omnia, perspicere et ob oculos semper habere possit sine maiore saltem, quam quae posita est in re ipsa, lectionis molestia. Dissecare disputationis tenorem etiamsi voluissem, id ad facilitatem lectionis adiumenti non multum, aliis autem nominibus incommodi plurimum videretur habiturum fuisse.

Nondum absoluto hoc libro, quem ab inventore elegiae Callinum inscripsi, quaerebatur, qui in solennitate inaugurationis Regiae, ea quum superioris anni aestate esset agenda, pro obtinendis summis in philosophia honoribus publice apud nos di-

sputaret. Iam, ecce, hortantur et instant mihi duumviri suo in genere principes, Reinholdus, illo tempore Decanus amplissimi philosophorum ordinis, cui in philosophia, et Tu, Heinrichi, cui in his antiquitatis studiis quantum debeam, nulla unquam delebit oblivio, ut dissertationis loco libri particulam quandam illustri exhiberem ordini philosophorum, thesesque publice defenderem. Ego quum nollem cunctando et recusando tergiversantis speciem induere, nutumque talium virorum imperii instar haberem, obtemperavi.

Nunc tandem Tibi, Heinrichi, Vir egregie, trado integrum librum, quem scribendum Tuo hortatu susceperam, additis etiam, quas haud ingratum munus Tibi spero futuras, Tyrtaei reliquiis, ut potui, a me emendatis. Licebit autem de Callino meo idem Tibi profiteri, quod ad M. Brutum de Oratore suo scripsit Cicero: *Volo mihi tecum commune esse crimen, ut, si sustinere tantam quaestionem non potuero, iniusti oneris impositi tua culpa sit, mea recepti: in quo tamen iudicii nostri errorem laus tibi dati muneris compensabit.*

Et cui potius dicatas velim quantulascunque istas ingenii primitias, quam Tibi, Heinrichi, qui ita me incendisti Graecae et Romanae antiquitatis amore, ut in hac sedem quasi ac domicilium studiorum meorum collocare statuerem? qui insigni Tua in me benevolentia mihi his litteris operam navanti animum addidisti? qui praeivisti mihi doctrina et exemplo? qui arctiore, qua me dignatus es, consuetudine tua, qui consiliis, qui monitis Tuis studia mea es moderatus? Quid dicam de Regio instituto philologico, cuius sodalis Te potissimum iudice factus, exercitationum interpretandi et Latine scribendi Te duce ac moderatore usus sum? quid de praemiis Sciassianis, quibus in me ter collatis Tu cum ceteris iudicibus humanissimis excitare iuvenilem operam meam voluisti? quid denique de voluntate et, fas est dicere, de amicitia, qua etiamnum me prosequeris, ex quo et ego in hac academia studiosis iuvenibus antiquitatem explicare aggressus sum? Liber meus quantopere Tua, Heinrichi, et Tui similium virorum indulgentia indigeat, dum limo, in dies magis sentire coepi. Sed Tua et optimi cuiusque philologi humanitate

fretus tandem aliquando limare desii, memor Quintilianae vocis: *Opus poliat lima, non exterat.* Vale, Vir eximie, et perge, quaeso, favere studiis nostris. Scripsi in academia Kiliensi a. d. V. Id. April. a. cIↃIↃcccxvi.

CALLINUS

SIVE

QUAESTIONIS

DE

ORIGINE CARMINIS ELEGIACI

TRACTATIO CRITICA.

Nihil in omni antiquitatis scientia plus iucunditatis simul habet et utilitatis, quam antiquae poesis docta et accurata cognitio. Haec vero exploranda cuiusque generis origine incredibilem in modum adiuvatur, non tantum quod hinc totius generis pervestigatio debet incipere, sed etiam quod haec explorata eius origine facilius fere procedit. Nonnunquam etiam de omni genere non licet nisi cognitis eius primordiis recte iudicari, ut de tragoedia et aliis fortasse formis. Et elegiaci quidem carminis historia adhuc adeo iacet neglecta, ut nuper demum Conradus Schneiderus, invitatus, ni fallor, Schlegeliorum commentariolo quodam, quod isti per Athenaeum suum prodiderant, fuerit ausus de carmine elegiaco Graecorum in Heidelbergensium virorum, quae vocantur, Studiis exponere, et ultra Souchaeum, Gallicum hominem, sapere, qui de eodem argumento pingui Minerva, ut aiunt, sed tamen paullo melius scripserat aliis, quos enumerare nihil attinet, historia autem carminis elegiaci, quae hoc nomine digna sit (pace Schneideri illius dixerim) usque adhuc desideretur. Nec mirum. Nam talis historia fundamento carebat, donec de origine carminis huius non obiter et quasi aliud agendo, sed dedita opera disputaretur; id quod nemo adhuc facere aggressus est, quum tamen omnes nossent, quam fuerit res ea iam apud veteres controversa. Et est sane elegiacum genus critica historia longe dignissimum, quippe quod et argumentorum varietate et poetarum, qui hoc genere utebantur, vel multitudine vel ingenio, vix

epico, cuius progenies est, cedere videatur. Itaque operae pretium fecisse putandi sunt Alexandrini grammatici, quum in eo plurimum contendebant, ut huius generis ortum investigarent. Accedit, quod et ipse inventor carminis tum antiquissimus fuit, tum poetica facultate insignis maxime. Nam primum nullus poeta, ne Hesiodus quidem, uti videtur, propior fuit Homero, ideoque inventio elegiae in aetatem incidit eam, in qua iuvat ἀοιδὸν reperire ab Homero et Homeridis diversum, eundemque adeo novi generis inventorem. Deinde Callinus Ephesius, poeta bellicus, quem inventorem elegiae fuisse certis, ut spero, argumentis docebo, poetica virtute tantum excelluit, quantum exspectari ab eo potest, qui post epicam poesin ad summum ab Homero fastigium eductam immutando metro heroico elegiaci generis inventor exstitit, eoque facem praetulit omnibus, qui nova deinceps metra excogitabant. Erunt, qui dicant, omitti a nobis fructum ex hac quaestione percipiendum praecipue, hunc quidem in eo ponentes, quod posthac nemini dubium esse possit, quin elegia, quae scilicet hoc nomine digna sit, esse debeat bellica, ac postea, quum eadem ad amatoria et lugubria argumenta usurparetur, gravissimum hoc genus poesis effeminatum deflexerit de natura sua. Contra alii clamabunt, veram elegiae naturam a Mimnermo aut etiam a Simonide demum esse perspectam, ignoratam adhuc ab inventore. Sed utrosque confido intellecturos, quantam argumentorum varietatem elegiacum genus admittat, si ea considerarint, quae exposita sunt a nobis de eo, quod intersit inter Horatianam sententiam de elegia primum lugubri a somniis grammaticorum, eandem lugubri argumento optime etiam convenire existimantium.

Obiter de origine carminis elegiaci, praeter scriptores totius historiae eius, disseruit Boettiger, vir celeberrimus, in commentatione Musei Attici de tibiae inven-

tione Marsyaeque supplicio, et Henr. Waardenburgius in prolusione de argumento et natura optimaque forma elegiae, inserta Opusculis eius: quo scripto fateor me haec commentantem minus aegre caruisse; quippe excerpta inde, quae debebam amico, ostendebant, eo quidem in opusculo hunc Batavum esse alterum quendam Souchaeum, ac parum aut nihil inesse prolusioni eius, quod huc pertineat, neque ex hac nostra disputatione, si operae pretium videatur, refutari perfacile possit. Prodita quidem est ab eo Heynii quaedam epistola: sed haec neque simpliciter agit de origine elegiae, et idem fere continet, quod habet eiusdem annotatio in Tibulli editione novissima p. XXI seq. in qua quidem hoc unum est memorabile, quod apparet, sensisse tamen Heynium, virum summum, *ἐλέγους* distinguendos esse ab *ἐλεγείοις*, et hoc esse generis nomen, illud non item. Multo maioris momenti Boettigeri est disputatio ista, ubi praecipue vir eximius id egit, ut occasionem inveniendae elegiae cantu tibiae dextrae et sinistrae datam esse ostenderet. Quae sententia ab aliis recepta, ab aliis repudiata, a nemine dum ita, ut par erat, ad iudicium est vocata. Et nos quidem in Appendice docere conabimur, impares tibias esse ab elegiae origine alienas. Quum vero Boettigeri sententia, ut ibi ostendam, vera non sit, profecto tamen neque digna est contemtione, in quam temere illam adducere voluit Conr. Schneiderus in Stud. Heidelb. Vol. IV. p. 13 seq. nempe ad Schlegelii aliquod in eam acute dictum provocans. Et Schneiderus quidem hoc nomine Boettigerum vituperat, quod omnino quaerere ausus sit, quomodo inventa sit hexametri et pentametri copulatio, quae distichum appelletur. Talia enim inventa ex ipsa hominum natura enasci, mentis autem intimos recessus aperire in hac humani ingenii imbecillitate non licere. At, mihi crede, Boettiger haud ignoravit, fontem inventionis in inventoris ingenio esse

quaerendum, nec voluit explorare, quomodo inventum sit metrum elegiacum. Immo occasionem duntaxat inventionis in tibia dextra et sinistra sibi reperisse visus est. Quod quum ipse Schneiderus sensisse videatur, hoc magis iniquum est eius de Boettigero iudicium. Neque etiam iure vir doctissimus reprehendi posset, si indicasset, quomodo orta sit elegia. Non enim prohibet, credo, humani ingenii imbecillitas, quo minus intelligas, metrum elegiacum ita esse ex heroico conformatum, ut alterius cuiusque hexametri pedi tertio et sexto syllabae in thesi positae detraherentur. Veruntamen longe gravior est ac difficilior quaestio, quis sit huius inventor carminis; cui addas licet, quaenam eius et patria et aetas fuerit. Sed de patria quidem et aetate singillatim quaerere opus non erit, si fuerit demonstratum, recte a quibusdam grammaticis inventorem elegiae habitum esse Callinum. Hunc enim Ephesium fuisse omnes consentiunt; nec nisi cognita eius aetate res demonstrari potest. Unde apparet, in quaestione de origine huius carminis, quatenus ea criticam tractationem requirit, neque in refutanda Boettigeri sententia de tibia dextra et sinistra versatur, ad illam quaestionem, quae veterum iam ingenia exercuit, redire omnia, quis sit inventor elegiae. Pauca, quae passim sunt tam a Boettigero quam ab aliis de hac quaestione allata, satius putavi in ipsa argumentatione suis locis commemorare. Quaedam sciens omitto, nec nugas quascunque soleo recensere, ne quid scilicet ignorasse videar.

In ipsa gravissimae quaestionis tractatione via et ratione procedam, nec vereor, ne cui iusto longior disputatio videatur, sine qua res ad liquidum perduci nequeat, praesertim quum multa ibi occurrant necesse sit, quae aliorsum, ut spero, traduci non sine aliqua utilitate possint. Aliena a proposito et rerum, quae in vulgus notae sunt, aut ultro patent, copiosam pertracta-

tionem pari cura defugi: sed in iis, in quibus summa et caput quaestionis est, ab omni parte considerandis et extra dubitationem ponendis ita medium tenere studui, ut, vere dicam, nimius tamen quam parcus videri maluerim. Quanquam, quod salva argumentationis integritate omitti potuerit, ego saltem vix reperio, exceptis fortasse iis, quae de Callino Ephesio cum aliis Callinis non perturbando dicta sunt, quae tamen et ipsa certe non abhorrent ab instituto nostro. Ceterum corrupta loca, quibus utendum est, emendare soleo, quum correctionis aut breviter licet rationem reddere, aut ratio ultro apparet peritis lectoribus, sed ita tantum data opera tueri emendationem meam, si depravatio praesentem loci usum tollit, aut etiam res, de qua sermo est, in ipsa correctione vertitur. Sed ad rem veniamus, et obliviscamur aliquamdiu, Callini nomen vel fando nobis esse auditum. Ante omnia enim videndum est, ne perdamus operam. Nempe quaeritur, an quidquam omnino constitui de elegiae inventore possit.

Mirarer equidem, nisi ab exploranda elegiae inventione plerosque absterruisset Horatii locus in Epist. ad Pison. v. 75 seqq.

Versibus impariter iunctis querimonia primum,
post etiam inclusa est voti sententia compos.
Quis tamen exiguos elegos emiserit auctor,
grammatici certant, et adhuc sub iudice lis est.

Nam, ut rem omnem paucis complectar, si lugubris initio fuisset elegia, ut Horatius putabat, ἄλυτος quaestio esset de eius origine, ideoque modestiae poetae tribuendum est, quod adhuc sub iudice litem esse dixit, quum iudicem ne exspectari quidem posse, et falsam nullam non grammaticorum sententiam esse censeret; in quibus duae sunt, quarum alterutram alioqui non modo potuisset, sed etiam debuisset veram habere, nunc vero minime potuit. Sed singula paullo diligentius perse-

quamur, et ita quidem, ut ab interpretanda Horatii sententia capiamus initium, ubi *querimoniam* de lugubri argumento iam olim Plotius recte accepit, de Metris p. 2634. Quam explicationem data opera tueri si cui supervacaneum videatur, sciat esse, qui amatoriam querimoniam intelligere malint propter antithesin *voti sententia compos*. At enim ex hac in neutram partem quidquam consequitur. Nam si vera est nostra interpretatio, opponuntur sibi querula et laeta carmina, et illa quidem lugubria, haec amatoria fere, quod genus Alexandrinis maxime ac Romanis placuisse constat. Ovidii versum in Sapphus Epistola ad Phaonem (si tamen haec est Ovidii), Heroid. XV, 7:

Flendus amor meus est: elegeïa flebile carmen,

aliorsum pertinere, deinde patebit. Quum vero hactenus omnino ambigua videri possit *querimoniae* interpretatio, tum etiam altera ratio, qua amatoriam significari querimoniam putant, duplici modo iniri potest, prout Horatium aut re vera amatoriam querimoniam principem elegiae materiam facere, aut omnino non generatim de carmine elegiaco, sed unice de amatoria elegia loqui credas, et hanc dicere primum querulam, deinde etiam laetam fuisse. Illa Anglici cuiusdam et Gallici scriptoris, Dartii et Blanci, sententia est, recepta a Barthio in editione Propertii p. LXXXIX. haec Conr. Schneideri, qui unice hanc veram esse affirmat in Stud. Heidelb. Vol. IV. p. 56. Sed Schneideri sententiam nemo facile probarit, nisi qui mox Horatium contendere credat, de amatoriae elegiae inventore certare grammaticos. Taceo enim, *versus impariter iunctos* vel per se generatim elegiacos esse. Restat igitur praeter nostram nonnisi una Dartii et reliquorum interpretatio, et quaeritur, utrum Horatius principem elegiae materiam lugubrem, an amatoriam fecerit querimoniam. Nos primum docere conabimur, non posse de amatoria cogitari;

deinde nostram interpretationem similibus grammaticorum sententiis confirmabimus, depravatis tamen accessione novi erroris de lugubri argumento elegiae maxime consentaneo.

Amatoriae elegiae eiusque querulae nemo nescit primum auctorem fuisse Mimnermum. Quodsi Dartianam fueris interpretationem amplexus, istum poetam Horatius elegiaci carminis inventorem censuisse putandus erit. Verum enimvero Mimnermum nemo unquam veterum tradidit inventorem elegiae; quidquid dicunt Orion Thebanus *περὶ ἐτυμολογιῶν* apud Ruhnken. ad Callim. Fragm. T. I. p. 439 ed. Ernest. auctor Etymologici cuiusdam inediti ibid. et Plotius de Metris p. 2654, qui tamen et ipsi Mimnermo non tribuunt inventionem elegiae, sed ab aliis tribui putant. Isti nimirum non melius, quam quidam perelegantes hac nostra aetate viri, instar omnium Wielandus ad Horat. Epp. Vol. I. p. 126, intellexerunt Alexandrinorum dicta; quorum unum ad nos pervenit, Hermesianactis apud Athen. XIII. p. 597 seq.

Μίμνερμος δέ, τὸν ἡδὺν ὃς εὕρετο, πολλὸν ἀνατλάς,
ἦχον καὶ μαλακοῦ πνεῦμ' ἀπὸ πενταμέτρου, etc.

Excusare solent Hermesianactem, qui Mimnermo inventionem elegiae tribuat: quod falsum esse, nec tamen magnopere vituperandum, quum lenioris Mimnermus et amatoriae inventor fuerit elegiae, quam Alexandrini, eius potissimum exemplum secuti, tanto cum studio excolebant. Sed, obsecro, quid aliud dicit poeta, quam invenisse Mimnermum dulcem sonum et quasi spiritum mollis pentametri, hoc est mollem lenemque elegiam? Nemo unquam, quod sciam, facillimum hunc locum recte explicavit, praeter Boettigerum in Att. Mus. Vol. I. Fasc. 2. p. 338. et Mohnikium in Historia litterarum Gr. et Rom. Germanice scripta Vol. I. p. 203, qui tamen verae falsam interpretationem mirum in modum

immiscuit, veramque apud eos etiam sibi visus est reperisse, qui falsam prodiderant. Eodem pertinet Propertii illud, I, 9, 11:

Plus in amore valet Mimnermi versus Homero;
carmina mansuetus lenia quaerit Amor.

Quem locum Vulpius, ne quid dicam de novissimo editore, et nuper etiam Harlesius ad Fabric. Bibl. Gr. Vol. I. p. 733 ita sunt interpretati, ut *Mimnermi versum* pentametrum elegiacum sive omnino elegiam esse, et huius inventionem Mimnermo tribui censerent. Neutrum verum est. Loquitur poeta de amatoria elegia, eamque Mimnermianam dicit eodem modo, quo epicam poesin Homericam, non quod inventor, sed quia praecipuus auctor eius fuit Mimnermus. Burmanni ceteroqui doctissima est annotatio: de hac re quae eius sententia sit, nemo videt. Sed Broukhusius, se recte Propertii mentem percepisse, eo declarat, quod comparat Ovid. Remed. Amor. v. 381 seq.

Callimachi numeris non est dicendus Achilles:
Cydippe non est oris, Homere, tui.

Quanquam huius loci paullo alia ratio est, quandoquidem *Callimachi numeri* dicuntur numeri, quibus Callimachus Cydippen scripsit, id est elegiaci, ut Cydippes fragmenta declarant, post Bentleium optime a Valckenario tractata in Callim. Eleg. Fragm. p. 210 seqq. et opponuntur numeris, quibus Ilias condita est, id est heroicis. Attamen hic quoque nonnisi de amatoria elegia sermo est. Haec igitur utrobique opponitur epico carmini, et a Propertio Mimnermiana, ab Ovidio Callimachea dicitur, quod recte utrumque fieri potuit, quum elegiacorum principem poetarum alii Mimnermum, ut Horatius Epist. II, 2, 100 seq. alii, quorum Quintilianus I. O. X, 1, 58 recepit iudicium, Callimachum censerent. Inventorem elegiae profecto non magis Mimnermum

Propertius, quam Callimachum Ovidius credidisse existimandus est.

Et quomodo, quaeso, Alexandrini et Romani Mimnermum, quem convenit fuisse Solonis aequalem, inventorem elegiaci carminis habere poterant, quum exstarent tot antiquiorum poetarum eiusmodi carmina, quorum ad nos pauca et exigua fere ex communi bonorum librorum naufragio fragmenta pervenerunt? Astium enim, qui in libro vernacula lingua de philologia scripto p. 89. Mimnermum recte a veteribus inventorem verae elegiae existimatum, Callini autem ac Tyrtaei carmina formam tantum cum vera elegia communem habere pronunciat, e sequentibus, si tanti est, refellere non erit difficile. Nos istam opinionem de Mimnermo inventore carminis elegiaci unquam apud veteres habito relinquamus Orioni Thebano et quos praeterea ante commemoravi, qui quidem non melius, ut dixi, quam nostri, Alexandrinorum dicta intellexisse putandi sunt. At, inquit, Orion Thebanus non suam, sed Didymi Alexandrini affert sententiam. Audio. Sed hoc ut verum sit, quid aliud inde efficies, quam Alexandrinorum dicta male ab Alexandrino iam intellecta esse? Proinde vel sic id, quod praecipuum est, concedendum erit, neminem veterum elegiaci carminis inventionem tribuisse Mimnermo. Sed illud etiam negandum est, Orionem Didymi hac de re afferre sententiam. Dicit grammaticus: *Ἔλεγος, ὁ θρῆνος, διὰ τὸ δι' αὐτοῦ τοῦ θρήνου* (delendum *τοῦ θρήνου,* quod hoc loco ex inepta interpretatione profectum, et hinc in Etym. M. v. *Ἔλεγος* translatum est) *εὖ λέγειν τοὺς κατοιχομένους. εὑρετὴν δὲ τοῦ ἐλεγείου φασὶν* (quod verbum iure Ruhnkenius addidit) *οἳ μὲν τὸν Ἀρχίλοχον, οἳ δὲ Μίμνερμον, οἳ δὲ Καλλῖνον παλαιότερον. ὅθεν καὶ πεντάμετρον τῷ ἡρωϊκῷ συνῆπτον, οὐχ ὁμοδραμοῦντα τῇ τοῦ προτέρου δυνάμει, ἀλλ' οἷον συνεκπνέοντα καὶ συσβεννύμενον ταῖς τοῦ τελευτήσαντος τύχαις. οἱ δὲ ὕστε-*

ρον πρὸς ἅπαντα ἀδιαφόρως. οὕτω Δίδυμος ἐν τῷ περὶ ποιητῶν. Neminem fugit, opinor, verba *ὅθεν καὶ πεντάμετρον* etc. non esse ad ea, quae proxime antecedunt, sed ad initium loci referenda. Nec minus sane apertum est, verba *εὑρετὴν δὲ* usque ad *Καλλῖνον παλαιότερον*, quae media sunt, quaeque errorem de Mimnermo continent, non esse Didymi, ut reliqua, sed Didymi verbis vel ab ipso Orione vel ab aliena manu admixta, et loco, ut fieri solet ab istiusmodi scriptoribus, parum idoneo tanquam *ἐν παρενθέσει* collocata.

Orioni Thebano et sociis commenti eius addas licet testem non magis locupletem, Marium Victorinum Art. Grammat. III. p. 2555, ubi: *Alii vero*, inquit, *Archilochum eius* (metri elegiaci) *auctorem tradiderunt, quidam Colophonium quendam, super quorum opinione apud grammaticos magna dissensio est.* Nempe Colophonium illum, cuius nomen controversum esse Victorinus dicit apud grammaticos, Mimnermum esse, quem plerique Colophonium ferebant, certum H. Valesio videtur, Emend. IV, 14. p. 118 ed. Burm. et aliis, verisimile Ignatio Liebelio in Comment. de Vita et Scriptis Archil. X. p. 28. qui praeterea Isidorum commemorat Orig. I. p. 53: *Nam quidam eorum* (grammaticorum) *Colofonium quendam* (sic scriptum), *quidam Archilochum auctorem atque inventorem volunt.* Quod si non contendere, sed docere voluissent viri docti, respiciendum erat ad Marii Victorini verba, quae primo adspectu rem dubiam et incertam reddere videntur: *super quorum opinione apud grammaticos magna dissensio est.* Erant sine dubio Victorini tempore grammatici, qui Mimnermum Colophonii nomine significari arbitrabantur. Sed ipsa dissensio praeter Mimnermum alterum quoque Colophonium fuisse declarat, de quo alii cogitarent. Est autem alter ille Colophonius Polymnestus, de quo Plinius, vel quisquis est

alius*): *Sunt qui credunt, illum invenisse heroica, item elegias.* Nam Colophonium fuisse hunc Polymnestum, omnes consentiunt. Sufficiat testem omnium antiquissimum excitasse, Pindarum apud Strabonem XIV. p. 643 (952). Commentum istud a Plinio memoratum non solum temporum ratione falsum arguitur, quoniam Polymnestus narrante Plutarcho de Musica p. 1132 C. Terpandro recentior fuit, sed vel propterea absurdum est, quod heroica simul et elegiaca a Polymnesto inventa dicuntur. Atqui idem Plutarchus ibidem auctor est, in utroque genere Polymnestum navasse operam, eundemque poetam etiam Pausanias affert *ἔπη Λακεδαιμονίοις ποιήσαντα*, I. p. 35. Nonne igitur manifestum est, commentum deberi Graeculis, qui Polymnestum alicubi legerint auctorem fuisse heroicorum et elegiarum, *ἐλεγείων τε καὶ ἐπῶν ποιητὴν γεγονέναι*, et inventorem fecerint, qui auctor tantummodo, sive generis elegiaci et epici auctorem, qui nonnisi carminum elegiacorum et epicorum auctor fuit? Eiusdem erroris aliud exemplum in Clona et Terpandro posthac videbimus. Quid ergo? Graeculi isti non poterant Polymnestum simpliciter Colophonium, Colophonium poetam, Colophonium vatem, appellare. Poetas autem, qui soli tali appellatione uti poterant, ridiculum illud commentum de Polymnesto

*) Horatii interpretes et alii, in his Rabenerus Amoenit. Hist. Philol. p. 175. Polymnestum in eorum numerum referunt, qui vel elegiaci vel epici carminis inventores habiti sint, sed nullum nominant huiusce sententiae auctorem. Verba, quae supra posui, affert et Plinio assignat Souchaeus in Comment. Acad. Inscript. Paris. T. VII, p. 355, sed omisso loci certo indicio. Frustra quaesivi locum, et interim in Gallici hominis auctoritate acquiescere coactus sum. Accuratius, ut spero, locum significabit Schneiderus, vir clarissimus, cuius utinam ne diutius desiderentur Antiquitates Colophoniacae, ubi plura se de hoc Polymnesto, quam annotationis ambitus ferebat, allaturum promisit ad Pind. Fragm. T. III. p. 89 ed. Heyn.

inventore carminis elegiaci suum fecisse nullo modo credibile est. Sin vero Mimnermum Colophonii nomine significatum esse statueris, facile intelliges, quomodo omitti nomen potuerit, siquidem Victorinum et Isidorum de poetarum locis loqui credas, qualem paullo ante Hermesianactis attuli et Propertii. Ut enim Homerum Chium, Hesiodum Ascraeum poetae nominant, sic etiam Mimnermum, qui elegiacorum fuit Horatio iudice princeps, omisso nomine Colophonium poetam dicere potuerunt. Quamobrem non damus tantum, sed ipsi nobis docuisse videmur, eos, qui Colophonium quendam, si Mario Victorino et Isidoro credideris, carminis elegiaci inventorem ferebant, non Polymnestum, sed Mimnermum Colophonii nomine significasse. Sed hoc ipsum quaeritur, an istis credendum sit, Colophonium illum omnino elegiaci carminis, nec potius lenis ac mollis elegiae, quam re vera Mimnermus invenit, inventorem perhiberi. Et hoc est, quod negandum, nec plus Victorino et Isidoro, quam Orioni, auctori Etymologici illius inediti, et Plotio tribuendum censemus.

Quodsi nemini unquam veterum in mentem venit, inventionem elegiae Mimnermo tribuere, quis, quaeso, talem ac tantum errorem ab uno Horatio exspectet? Sed fac, Mimnermum a multis Alexandrinorum et Romanorum vel poetis vel criticis inventorem elegiae traditum, et falsa esse, quaecunque hactenus disputavi. Horatium nihilo secius constabit inventionem elegiae non tribuisse Mimnermo. Quid enim? Dicit, de inventore carminis elegiaci adhuc sub iudice esse litem. Qui tandem potuisset clarius profiteri, sibi de inventore elegiae nihil omnino constare? Hoc autem, mihi crede, nequaquam professus esset, si Mimnermum inventorem putasset. Unde apparet, querimoniam apud Horatium ad Mimnermi elegos nullo pacto posse referri, ideoque de amatoria querimonia minime cogitari posse,

siquidem illud verum est, Horatium hanc non potuisse principem elegiae materiam facere, nisi inventorem elegiae Mimnermum fuisse crediderit, qui primus metrum elegiacum huic argumento accommodavit.

Iam vero si haec falsa interpretatio est, aperte vera est altera illa de lugubri querimonia. Quae interpretatio iis etiam confirmabitur, quae de similibus grammaticorum locis nunc exponam. Neque enim solus Horatius elegiam initio lugubrem fuisse putabat. Immo communis omnium, quotquot equidem scio, quorum dicta, quae huc pertinent, tulerunt aetatem, illa fuit sententia, excepto Dracone Stratonicensi, de quo deinde dicendum. Sed ubique praeterea, atque adeo apud ipsum iam Didymum Alexandrinum, ubi eadem sententia reperitur, novi erroris accessione est depravata. Horatium si non intellexisse, at certe sensisse crediderim, metrum heroicum propter aequabilem versuum tenorem fluxumque continuum summam argumentorum varietatem ac narrandi facilitatem praebere, elegiaci autem paullo interruptiorem fluxum et pentametro impeditum habere tamen non versuum quidem, sed membrorum aequabilitatem, hoc igitur quum sit ad narrationem, quae ἔπεα πτερόεντα requirit, minus aptum, eamque nisi ad aperiendos animi sensus accommodatam prorsus excludat, idem tamen ceteroquin eandem fere argumentorum admittere varietatem. Hoc autem si sensit Horatius, non magis potuit, quum elegiam initio lugubrem fuisse putaret, inde concludere, metrum elegiacum lugubri argumento maxime convenire, quam ex eo, quod Mimnermi exemplo Alexandrini, Alexandrinorum Romani amatoriam elegiae materiam praeferebant, iure colligi licet, huic maxime argumento consentaneum esse metrum elegiacum. Non enim, ne quis erret, ea potest ab Horatio inconstantia exspectari, quam in iis reperias, qui elegiam omnino lyricum carmen Io-

nicum esse volunt, (male, si rationem loquendi, non male, si rem spectas,) et tamen vulgarem opinionem de lugubri et amatorio argumento elegiae prae ceteris congruo avelli sibi veriori illa sententia non patiuntur. Utcunque sit, saltem non dicit Horatius, lugubri argumento metrum elegiacum praecipue convenire, et elegiam, quum ad alia argumenta usurparetur, sua ab natura degenerasse. Omnium vero, qui praeter Horatium sententiam de elegia initio lugubri amplexi sunt, nemo, quod sciam, ab hoc errore integrum praestitit se et immunem. Ceterum haud scio, an fons istius erroris sit in male intellecto Euripidis loco quaerendus, Troad. v. 120 seq. ubi nonnisi de sedandis doloribus agitur, et metrum elegiacum ut placidum et quietum, ideoque solatium quaerenti conveniens, opponitur anapaestis, qui tanto impetu feruntur, ut his non tam deliniantur, quam exagitentur lugentium animi. Sed pergo, ad Euripidis locum reversurus loco idoneo.

Eorum loca, qui nihil aliud quam elegiae lugubre argumentum maxime consentaneum esse dicunt, praemittere liceat, quum hi quoque hoc ipso se credidisse ostendant, carmen elegiacum initio funebre fuisse, ac postea demum ad alia etiam argumenta esse translatum. Nimirum opinionem de vera elegiae natura ab inventore nondum satis perspecta hic non esse quaerendam, mox apparebit. Primus est Isidori, vel potius Terentiani locus ab hoc allatus, Orig. I. p. 33: *Elegiacum autem dictum, eo quod modulatio eiusdem carminis conveniat miseris. Terentianus hos elegos dicere solet: quod clausula talis tristibus, ut tradunt, aptior esset modis.* Locum corruptissimum vide an sic refingas: *Elegiacum autem dictum, eo quod modulatio eiusdem carminibus conveniat miseris. Terentianus:*

Hos elegos dixere, solet quod clausula talis
tristibus, ut tradunt, aptior esse modis.

Carmina misera dicit, ut Virgilius Eclog. III, 27. Distichum ita, ut scripsi, exstat apud Terentianum Maurum de Metris p. 2422. At hic quoque incertum, an de lugubri debeat querimonia cogitari. Addam igitur alium locum, unum de pluribus, ubi hoc est certissimum. Locus est Is. Tzetzae Proleg. ad Lycophron. p. 257. ed. Müller. *Ἐλεγειογράφων δὲ γνωρίσματα τὸ πρὸς τοὺς τεθνηκότας οἴκτους συγγεγραφηκέναι καὶ ὀλοφύρσεις ἐν ἐλεγείῳ μέτρῳ κυρίως, καταχρηστικῶς δὲ καὶ ἐν ἑτέρῳ.* Qui locus si integer est, non tantum vulgarem apud veteres sententiam continet, proprie lugubre esse carmen elegiacum, per abusum ad alia quoque argumenta traductum, sed novam plane et apud veteres inauditam, carmina non lugubria, licet metro elegiaco composita, omnino non esse elegiaca, et lugubre argumentum esse in carmine elegiaco utique necessarium. Sed propter hoc ipsum suspicari licet, latere in hoc loco praeter leviora quaedam, quae e codicibus tacite mutavi, corruptionem, quae pervertat omnem sententiam. Accedit, quod et ea lugubria carmina, quae hexametris et pentametris non sunt composita, elegiacis annumerantur: quae ratio loquendi nusquam praeterea occurrit nisi semel, ut infra videbimus, in Epistolis, Phalaridi ante Bentleium tribui solitis; ibique adeo est suspecta: siquidem ab epigrammatis sepulcralibus discesseris, quae tamen et ipsa posteriore demum aetate *ἐλεγεῖα* nominabantur. Quanquam quod a ficto forsan Phalaride, idem fortasse a Tzetza exspectari potest. Sed, amabo, quid sibi vult illud *καταχρηστικῶς*? Neque enim hoc dicit grammaticus, nomen *τῶν ἐλεγειογράφων* de auctoribus funebrium carminum, quae distichis non constent, *καταχρηστικῶς* usurpari, sed illud, poetas, qui lugubria carmina alio metro condiderint, fecisse id per abusum. Tam putidum vero commentum profecto ne in Tzetza quidem ferendum est. Atqui variae lectiones tres hic

exstant in codicibus, prima ἑτέρῳ, secunda, quam novissimus editor recepit, ἐν ἑτέρῳ, tertia, quae eandem sententiam praebet, ἑτέρως. Scribendum: Ἐλεγειογράφων δὲ γνωρίσματα τὸ πρὸς τοὺς τεθνηκότας οἴκτους συγγεγραφηκέναι καὶ ὀλοφύρσεις ἐν ἐλεγείῳ μέτρῳ κυρίως, καταχρηστικῶς δὲ καὶ ἕτερα. Est autem ἕτερα primum, si quid video, corruptum in ἑτέρᾳ, quae levissima ac prope nulla mutatio est, hinc rursus depravatum in ἑτέρῳ, et correctum ἐν ἑτέρῳ. Lectio ἑτέρως aperte glossema est ad ἑτέρᾳ, quod posse pro ἑτέρως usurpari, Schaeferus docuit ad Soph. Oed. Colon. v. 1444. Ex quibus ultro intelligitur, quid iudicandum sit de Souchaeo, quem hic potissimum locus movisse videtur, ut elegiae initia scilicet apud Hebraeos quaereret. Sed hoc mittamus. Illud tenendum, bina haec loca, Terentiani et Tzetzae, alterum alterius, et utrumque Horatii interpretationem firmare, modo illud aliunde demonstretur, opinionem de vera elegiae natura ignorata adhuc ab inventore hic quaerendam non esse.

Hoc igitur reliquum est, nempe ut loca in medium proferam, ubi diserte dicatur, elegiam non modo proprie, sed primum fuisse lugubrem. Ac ne semper corrupta loca afferre videar, incipiam a Proclo, e cuius Chrestomathia haec refert Photius in Bibl. p. 983: τὴν δὲ ἐλεγείαν συγκεῖσθαι μὲν ἐξ ἡρῴου καὶ πενταμέτρου στίχου, ἁρμόζειν δὲ τοῖς κατοιχομένοις· ὅθεν καὶ τοῦ ὀνόματος ἔτυχεν. τὸ γαρ θρῆνος ἔλεγος (e codice pro ἔλεγον) ἐκάλουν οἱ παλαιοί, καὶ τοὺς τετελευτηκότας δι' αὐτοῦ εὐλόγουν. οἱ μέντοι μεταγενέστεροι τοῖς ἐλεγείοις πρὸς διαφόρους ὑποθέσεις ἀπεχρήσαντο. Eadem verba, paullo aliter scripta apud Etym. M. p. 327 v. Ἐπικός (sic enim necessario legendum pro Ἔλεγος), obiter moneo ibi e singulari, ut videtur, libello de Procli Chrestomathia, ἐκ τοῦ περὶ Χρηστομαθίας (immo Χρηστομαθείας) Πρόκλου, minus accurato illo, quam Photii Excerpta, esse descripta. Continent au-

tem haec verba ipsam Horatianam sententiam de elegia primum ad lugubria, post etiam ad alia argumenta usurpata, sed depravatam accessione erroris de lugubri argumento elegiae maxime consentaneo. Proclo denique accedat Didymus, insignis miro quodam commento de caussa, cur lugubris materia maxime conveniat carmini elegiaco. Etym. M. v. Ἐλεγεία (sic scribendum esse mox patebit): — ἢ παρὰ τὸν ἔλεγον τὸν θρῆνον. Δίδυμος δέ, ὅτι διὰ τοῦτο τῷ ἡρωϊκῷ ἐπῆδον ὡς πεντάμετρον καὶ λειπόμενον τοῦ ἡρωϊκοῦ, μιμούμενοι τὴν ἀποθνησκόντων ἀπόπαυσιν. ἐπὶ γὰρ μόνοις νεκροῖς πάλαι ᾔδετο πρὸς παραίνεσιν καὶ παραμυθίαν τῶν συγγενῶν καὶ φίλων τοῦ τεθνεῶτος. Ubi mireris nihil aliud annotasse Sylburgium, quam articulum inserendum videri ante πεντάμετρον, quod et ipsum non est necesse. Sed locus, ut vulgo legitur, omnino intelligi nequit, ita quidem restituendus: ἢ παρὰ τὸν ἔλεγον τὸν θρῆνον. Δίδυμος δέ· ὅτι διὰ τοῦτο τῷ ἡρωϊκῷ ἐπῆδον πεντάμετρον ὡς . . . καὶ λειπόμενον τοῦ ἡρωϊκοῦ, μιμούμενοι τὴν ἀποθνησκόντων ἀπόπαυσιν. ἐπὶ γὰρ etc. Lacunae supplementum a codicibus exspectandum. Eandem sententiam, sed aliter expressam, ex alio, ni fallor, Didymi libro descripsit Orion Thebanus loco, quem emendatum supra dedi. Est, cui haec somnia etiamnum placeant. Nos missis his Didymi nugis ex omni ista sententia hoc unum promamus, quod Didymus etiam elegiam principio funebrem fuisse credebat. Nempe πάλαι ad antiquissima, ad inventoris tempora spectare, satis perspicue ipse Didymus apud Orionem declarat, additis his: οἱ δὲ ὕστερον πρὸς ἅπαντα ἀδιαφόρως. Sed haec hactenus. Porro videamus, quid iudicandum esset de inventione carminis elegiaci, si vera haec esset sententia de elegia initio lugubri, quam falsam esse mox docebo.

Nulla omnino, si verum esset, elegiam principio lugubrem fuisse, ex variis grammaticorum sententiis de

inventore carminis elegiaci foret probabilis: atque ita Horatius, nisi ab omni iudicio abstinere maluisset, videretur iudicaturus fuisse. Sunt enim duae in his, quarum alterutram, ut ante dixi, non solum potuisset Horatius, sed debuisset veram putare, nisi lugubrem querimoniam principem elegiae materiam fecisset, nunc vero nullo modo potuit; reliquae aperte falsae ipsoque, ut videtur, Horatio posteriores. Singulas priusquam expendere licet, segregandi sunt ii, quos vulgo putantur quidem nonnulli veterum elegiae inventores tradidisse, sed nemo tradidit.

De Mimnermo supra expositum. De Clona et Terpandro, quos a Plutarcho de Musica p. 1132 C. inventores elegiae perhiberi quidam contenderant, iam ab aliis observatum est, utrumque a Plutarcho *ἐλεγείων ποιητήν*, sed neutrum *εὑρετήν* appellari. Quum tamen Souchaeus in Comment. Acad. Inscript. Paris. T. VII. p. 340 recte de Clona Plutarchi locum intellexerit, male de Terpandro, quem ne poetam quidem elegiacum dici affirmat, Fabricius autem in Bibl. Gr. Vol. I. p. 294 ed. Harles. recte de Terpandro iudicet, sed ibidem Harlesius Vol. II. p. 118, ubi de Clona loquitur, rem silentio praetereat, satius videtur ipsum Plutarchi locum apponere, qui ita se habet: *ὁμοίως δὲ Τερπάνδρῳ Κλονᾶν, τὸν πρῶτον συστησάμενον τοὺς αὐλῳδικοὺς νόμους καὶ τὰ προσόδια* (sic recte Burettus e codice), *ἐλεγείων τε καὶ ἐπῶν ποιητὴν γεγονέναι.*

Non magis a quoquam veterum inventor carminis elegiaci Midas habitus est, et perperam ab omnibus, nuperrime etiam a Liebelio in Comment. de Vita et Scriptis Archil. X. p. 28. huc trahitur Suidas v. *Ἔλεγος*. Is enim inventionem elegiae ne verbo quidem attingit, ac nihil aliud quam elegos per *θρήνους* interpretatur *πρὸς αὐλὸν ᾀδομένους*, et tibiam posthac funebrem a Mida rege, Gordiae filio, in matris consecratione arae admo-

tam esse narrat. Paullo diligentius hunc Suidae et geminum Eustathii locum in Appendice tractabo. Nunc transeamus ad grammaticorum sententias manifesto falsas et ipso, ut videtur, Horatio posteriores.

Huc pertinet lepida eorum historia, qui elegiacum carmen Theoclis cuiusdam, furiosi hominis, inventum ferebant. Neque enim Theoclem istum recentiores tantum iis annumerant, quos elegiaci carminis nonnulli veterum inventores tradiderint, quod nescio quomodo iactare potuerit scriptor novissimus de elegia Graecorum in Stud. Heidelb. Vol. IV. p. 12. Provocant potius ad perspicuum Suidae locum: *Ἐλεγαίνειν* (sic enim ubique scribendum esse, non *ἐλεγείρειν* aut *ἐλεγείνειν*, monuisse sat erit), *τὸ παραφρονεῖν. τινὲς τῶν παλαιῶν καὶ τὸ ἐλεγεῖον μέτρον ἀπὸ τούτου τινὸς κληθῆναι νομίζουσιν. Θεοκλῆς Νάξιος ἢ Ἐρετριεὺς πρῶτος αὐτὸ ἀνεφθέγξατο μανείς.* Quae eadem, ex eodem sane auctore, paullo plenius leguntur apud Etymol. M. Sed istud commentum, ductum ex vana nominis *ἔλεγος* notatione, et procul dubio per ludibrium ab otioso grammatico, ut talia centena, ementitum, Horatio si cognitum fuit, quod vix credideris, certe probare sese potuit minime.

Erant etiam, sed infima demum, ut opinor, aetate, qui Pythagoram et Ortugen vel potius Ortygen quendam, obscurum hominem, inventores elegiae somniarent, narrante Plotio de Metris p. 2634. De Pythagora monere nihil opus est, quam inepta ratio sit, sive Samium sive alium quemcunque intelligas, vel propter aetatem vel propter ingenium cuiusvis Pythagorae. Ii autem, qui Ortygen, ignotum hominem, temere elegiaci carminis inventorem fingebant, difficillimam hanc quaestionem de elegiae origine facili scilicet negotio solvebant. Polymnestum, de quo supra disserui, hic praetereo. Restat, ut eas grammaticorum sententias proponam, quae Horatio haud dubie ob oculos versaban-

tur, quum dixit, de inventore carminis elegiaci esse adhuc sub iudice litem. Et duae sunt illae, quarum alterutram Horatio, nisi elegiam initio lugubrem duxisset, debuisse placere, nunc vero ne potuisse quidem, supra monui, et nunc ostendere conabor: altera de Callino, altera de Archilocho.

De Callino Ephesio, ad quem deinde omnis nostra disputatio redibit, cum aliis Callinis non perturbando, paucis liceat ante exponere, quam ad sententiam accedam eorum, qui huic elegiaci carminis inventionem assignabant. Idem si in Archilocho facere vellem, actum agerem. De hoc enim praeclara est huius generis Ruhnkenii, summi viri, disputatio ad Velleium p. 20 seq., qua nuperus Archilochi editor minus leviter uti, quam fecit, debebat. Nos quae de Callino Ephesio ab aliis Callinis distinguendo habemus dicere, referenda sunt ad locum Pausaniae, cui Andr. Schottus in Notis ad Procli Chrestom. p. 28, Salmasius in Exercit. Plin. p. 598 et alii Callini nomen restituerunt, IX, 9. p. 729: *ἐποιήθη δὲ ἐς τὸν πόλεμον τοῦτον καὶ ἔπη Θηβαΐς. τὰ δὲ ἔπη ταῦτα Καλαῖνος ἀφικόμενος αὐτῶν ἐς μνήμην ἔφησεν Ὅμηρον τὸν ποιήσαντα εἶναι. Καλαίνῳ δὲ πολλοί τε καὶ ἄξιοι λόγου κατὰ ταὐτὰ ἔγνωσαν. Θηβαΐς* reposui pro *Θηβαίοις,* ex verissima magni Hemsterhusii emendatione apud Ruhnkenium ad Callim. Fragm. T. I. p. 459 ed. Ernest., quam video confidentius repudiari a Frid. Schlegelio in Hist. Poesis Gr. et Rom. Germanice scribi coepta p. 200, quasi credibile esset, non modo Homerum, sed ullum omnino poetam ipsis Thebanis cladem cecinisse maiorum suorum. At sermo est de Epigonis. Recte quidem: neque vero haec sola potest Thebaidis continuatio, sed simul debet ipsa Thebais intelligi. Est autem utraque poesis iunctim appellari *Θηβαΐς* existimanda, quemadmodum *Ἰλίου Πέρσιν* parvae Iliadis nomine a quibusdam comprehendi censet Hermannus, vir summus, ad Aristot.

de Poet. p. 172 seq. Distinctius loquitur, qui et ipse utramque Homero tribuit, Io. Tzetzes apud Bentl. Epist. ad Millium p. 505 ed. Lips. quum dicit:

τὴν Ἐπιγόνων μάχην τε γράφει καὶ Θηβαΐδα.

Mutatio nominis *ΚΑΛΑΙΝΟΣ* in *ΚΑΛΛΙΝΟΣ* sane lenissima et prope nulla est, ac magis etiam, ut recte vidit, qui in eandem correctionem ipse incidit, Sylburgius ad locum Pausaniae, sese commendat eo, quod nomen istud *Καλαῖνος* non modo nusquam praeterea legitur, sed circumflexum in syllaba ultimae proxima positum habet, qui quidem et suspectam reddit vulgatam nominis formam, et est apertum lectionis *Καλλῖνος* vestigium. Sed miror, quod ante Ruhnkenium nemo viderit, critici esse, non elegiographi Callini (liceat enim ἀοιδοῦ, qui non scripsit, Ruhnkenianam hanc appellationem servare), incerta opera suis auctoribus assignare. Neque, ut opinor, Schellenbergius in Antimachi Vita p. 24 obiecisset viro magno, poetam de alia re quacunque loquentem obiter carminis tanquam Homerici iniicere mentionem potuisse, si cognitum habuisset id, quod post patebit, Callinum Ephesium antiquissimum ἀοιδὸν fuisse, eiusque carmina, iis, quae in Homero vetustissima sunt, non ita multo posteriora, pariter atque ipsa Homeri carmina diu in ore hominum esse versata, priusquam litteris mandarentur, ac denique cogitasset, talem poetam cum serioribus comparari non posse. Idem sentiat necesse est, si quis vel ad ipsam fragmenti Calliniani, de quo mox dicendum, naturam et indolem paullo diligentius attendat animum. Optime igitur Ruhnkenius iudicium de cyclicae Thebaidis auctore a vetere Callino vel maxime censet alienum. Iam vero inde colligit, apud Pausaniam pro *Καλαῖνος* et *Καλαίνῳ*, non *Καλλῖνος* et *Καλλίνῳ*, sed *Καλλίμαχος* et *Καλλιμάχῳ* esse scribendum. In quo fallitur vir egregius. Callimachum recte monet in *Πίναξι παντοδαπῶν συγγραμμάτων*

Thebaidem praeterire non potuisse. Sed ipse sensisse videtur, mira propter hoc ipsum esse Pausaniae verba: ἀφικόμενος αὐτῶν ἐς μνήμην, quae fortuitam Thebaidis mentionem indicant, ideoque Ruhnkenii coniecturam non confirmant, sed infirmant. Adde quod duplicem, si hanc probaris, corruptionem accentus caussa, quem lectionis Καλλῖνος manifestum vestigium esse vidimus, statuere oportebit, ut primum Καλλῖνος pro Καλλίμαχος, deinde Καλαῖνος pro Καλλῖνος positum sit. Alterius illius corruptionis exemplum exstat apud Eustathium p. 1885 l. 51: ὁ τὰ Ναξιακὰ γράψας φιλητᾶς (vulgo φιλήτας) εἴτε Καλλῖνος, ubi miror neminem vidisse pro Καλλῖνος legendum esse Καλλίμαχος. Sed duplex depravatio nisi urgente necessitate admitti nequit. Atqui plures Callini commemorantur. Nolo huc vocare, quod ibidem Ruhnkenius monuit, bina epigrammata, quae Callinio (sic scriptum) tribuuntur in Anthologia Steph. p. 25 et 40, non cadere in Callinum Ephesium. Neque enim serioris haec sunt Callini, uti Ruhnkenius arbitrabatur, sed alterum Cyllenii, alterum aut eiusdem, aut Antipatri, cui nunc tribuitur ex auctoritate codicis Vaticani. Sed Callini librarii bis apud Lucianum mentionem reperio, adv. Indoct. cap. 2. et 24. ubi Callinus et Atticus βιβλιογράφοι commemorantur. Adde Schol. ad priorem locum: Καλλιγράφοι οὗτοι γεγόνασιν ἄριστοι. Quanquam de hoc quidem Callino apud Pausaniam nemo cogitet. Nec vereor, ne quis huc trahat Callinum, Seleuci Callinici tempore apud Smyrnaeos aerarii praefectum, cuius fit mentio in Marm. Oxon. p. 8. et 13. ed. Prid. Sed hi tamen si omnes essent, qui hoc nomine memorentur, hoc certe appareret, Callini nomen minime rarum apud Graecos aut inusitatum fuisse, ac facile apud Pausaniam unum e sexcentis grammaticis posse intelligi, quorum ipsa nomina deleta temporis iniuria sunt. Occurrunt autem duo Callini aliquoties apud Diogenem Laer-

tium in Vita Theophrasti et Lyconis, perturbati inter se a Solano ad illum Luciani locum, distincti, ut ratio temporis postulabat, a Fabricio in Bibl. Gr. Vol. III. p. 480. ed. Harles. Erant illi philosophi Peripatetici, alter Theophrasti, alter Lyconis amicus, qui multa iis morientes legarant. Neque ignobiles eos fuisse philosophos, ipsa, si quid iudico, tanta tantorum virorum amicitia declarat; idemque de iuniore Callino, Lyconis amico, eo mirifice confirmatur, quod is, uti Diogenes auctor est, nemini potius, quam Callino, scripta sua inedita maluit testamento legare. A philosopho autem Peripatetico iudicium de auctore cyclicae Thebaidis exspectari posse, nemo facile negabit, qui vel catalogum scriptorum Theophrasti deperditorum perlegerit, et meminerit, similia etiam apud ipsum Aristotelem iudicia reperiri, qui Margiten, ut hoc utar, Homericum carmen censet de Poet. IV, 10. Et notum omnino, iam apud Aristotelem eius eruditionis, quae postmodum Alexandrinorum propria fuit, semina latere. Accedit, quod iunior Callinus Peripateticus ipse Alexandrinus fuisse putandus est, ut qui Lyconis amicus fuerit, quem Stratonis, Ptolemaei Philadelphi praeceptoris, successorem fuisse constat. Quae cum ita sint, omnino apud Pausaniam pro *Καλαῖνος* legendum *Καλλῖνος*, non *Καλλίμαχος:* sed de alterutro philosopho Peripatetico, nequaquam de Callino Ephesio cogitandum.

Redeo in viam. De Callino Ephesio ut inventore diu viris eruditis unus tantum locus cognitus fuit, quem primus, ni fallor, laudarat Andr. Schottus in Notis ad Procli Chrestom. p. 28. Distichum est Terentiani Mauri de Metris p. 2421:

Pentametrum dubitant quis primus finxerit auctor:
quidam non dubitant dicere Callinoum.

De forma *Callinous*, unde vulgo contractum nomen *Callinus*, nota nunc omnia post Ruhnkenium in Hist.

Crit. Orat. Gr. p. XLII. seq. Addidit Schottus, apud Schol. Nicandri male *Χαλίνος* legi pro *Καλλῖνος:* quod quid sit, nescio; nisi forte illi in memoria haesit scholium ad Theriac. v. 233: *χαλινοὺς γὰρ ἐνταῦθα τοὺς ὀδόντας φησί,* vel simile quoddam, uti ad Alexiph. v. 452, ubi *χαλινοὶ* oris anguli dicuntur. Utcunque sit, ultro intelligitur, quid iudicandum sit de Liebelio in Comment. de Vita et Scriptis Archil. X. p. 28, qui Nicandri Scholiasten nullo cum loci indicio in numerum eorum, qui Callinum elegiae inventorem tradiderint, referre non dubitavit. Sed teneamus Terentiani locum, cui rectius H. Valesius Emend. IV, 14. p. 118. ed. Burm. Marium Victorinum addidit Art. Grammat. III. p. 2555: *Considerantibus nobis, quot ex dactylico heroo per singulos prototyporum canones metrorum species procreantur, manifesta ratione reperio, primam eius veluti subolem a pentametro versu coepisse; unde consequenti ratione initium suscepti operis ab eodem ordinemus, quod metrum τεσσαρεσκαιδεκασύλλαβον Σαπφικὸν et Αἰολικὸν dicitur, quod invenisse fertur Callinous Ephesius. Alii vero Archilochum* etc. Postrema haec corrupta. Ac primum quidem *ordiemur* scribendum pro *ordinemus,* partim quod sententia futurum tempus poscit, partim quod *initium ordinare* nihili est, *initium ordiri* exstat vel apud Ciceronem Epist. ad Att. IV, 1. extr. Sed hoc levius. Quo tandem pertinet *metrum Sapphicum?* nonne sermo est de pentametro elegiaco? Apparet, puto, verba *Σαπφικὸν et Αἰολικὸν* a sciolo adiecta esse ex his, quae dein sequuntur p. 2559: *Hoc quoque ex eodem pentametri versus genere profluit, quod Aeolicum seu Sapphicum metrum nominant, a Sappho, vate doctissima, inventum.* Similiter apud Plotium p. 2657, ubi metrum Archilochium dipenthemimericum ab elegiaco discernitur, pro *Aeolico* legendum *elegiaco,* quod corruptum, quia paullo ante sermo fuerat de metro

Aeolico Sapphico. Taceo, metrum Sapphicum τεσσαρεσκαιδεκασύλλαβον non esse. Scripsit Victorinus: — *unde consequenti ratione initium suscepti operis ab eodem ordiemur, quod metrum τεσσαρεσκαιδεκασύλλαβον dicitur; quod invenisse fertur Callinous Ephesius. Alii vero Archilochum* etc. Pentameter, ne quis erret, quum dactylis totus componitur, quatuordecim syllabas continet. Tertii et quarti loci, ubi Callinus elegiam invenisse perhibetur vel potius perhiberi dicitur, Ruhnkenio ad Callim. Fragm. T. I. p. 439. ed. Ernest. notitiam debemus. Quorum unus idem est Orionis locus, quem prius posui, ubi de Mimnermo agebatur; alter ex Etymologico inedito a Ruhnkenio prolatus et ita correctus: *Ἔλεγος, ὁ θρῆνος — εὑρετὴν δὲ τῆς ἐλεγείας φασὶν οἱ μὲν τὸν Ἀρχίλοχον, οἱ δὲ Καλλῖνον, οἱ δὲ Μίμνερμον.* Et ex his quidem talibusve auctoritatibus pendet, quem Ruhnkenius nosse non poterat, quemque mihi indicavit Heinrichius, antiquus Scholiastes Ciceronis Orat. pro Archia, ab Angelo Maio nuper editus ex bibliotheca Mediolanensi, p. 61. ubi corruptum nomen *Aliinos*, et legendum esse *Kallinos*, vidit doctissimus editor.

Iam si quaeris, quam antiqua illorum sententia sit, qui Callinum Ephesium elegiae inventorem censebant, ipsius, uti arbitror, iam Aristarchi et Aristophanis Byzantii ea sententia erat. Repetenda res a canone criticorum. Photius in Bibl. p. 983. ex Procli Chrestomathia: *Λέγει δὲ καὶ (Πρόκλος) ἀριστεῦσαι τῷ μέτρῳ (τῷ ἐλεγείῳ) Καλλῖνόν τε τὸν Ἐφέσιον καὶ Μίμνερμον τὸν Κολοφώνιον, ἀλλὰ καὶ τὸν τοῦ Τηλέφου φιλητᾶν* (ita scribendum esse, iam ante Schweighäuserum in Animadv. ad Athen. T. IX. p. 166. Bentleius vidit ad Callimachi locum saepius memoratum) *τὸν Κῷον καὶ Καλλίμαχον τὸν Βάττου. Κυρηναῖος δ' οὗτος ἦν.* Grammaticus Bibl. Coisl. p. 597: *Ἐλεγειοποιηταὶ δ'. Καλλῖνος, Μίμνερμος, Φιλητᾶς, Καλλίμαχος.* Ex quibus Ruhnkenius concludit in Hist. Crit.

Orat. Gr. p. XCV. seq. hos quatuor poetas in canonem esse receptos, cuius auctores Aristarchum et Aristophanem fuisse, e Quintiliano docuit I. O. X, 1: *Apollonius in ordinem a grammaticis datum non venit, quia Aristarchus atque Aristophanes, poetarum iudices, neminem sui temporis in numerum redegerunt.* De Callino et Mimnermo assentior viro summo: de reliquis obstat hic ipse Quintiliani locus. Neque enim sufficit, quod dicit Ruhnkenius, Callimachum, utpote qui Apollonii aequalis fuerit, a posterioribus criticis in numerum redactum videri, sicut Tzetzes in Vita Lycophronis Apollonium in Pleiadem poetarum varii generis relatum tradat. Nempe Philetam quoque ipsum Alexandrinum et Zenodoti praeceptorem fuisse constat. Ut igitur hic paullo ante Aristarchum et Aristophanem mortuus fuerit, vix tamen in ordinem venire potuit, si poetarum iudices, ut Quintilianus ait, neminem sui temporis in numerum redegerunt. Quid? quod ipsa Procli verba: ἀλλὰ καὶ etc. aperte declarant, neutrum esse ab Aristarcho et Aristophane receptum, sed Philetam perinde atque Callimachum ab ipso Proclo adiectum. Quanquam haud scio, an Proclus in hoc iudicio sit Longinum secutus, qui in libro, quem οἱ φιλόλογοι inscripsit, elegiacos poetas vix potuit praeterire, quemque credibile est neque in veterum Alexandrinorum iudicio substitisse, nec plane hoc neglexisse, ut a Romanis fere factum esse, e Quintiliano I. O. X, 1, 58. non immerito colligas, sed ita potius pronunciasse, ut Aristarchus et Aristophanes ipsius aetate iudicaturi fuisse viderentur. Hoc tenendum est, neminem praeter Callinum ac Mimnermum ab his duumviris in ordinem esse redactum. Mimnermum cur ceteris omnibus praetulerint, intellectu non est difficile. Quippe Alexandrini Antimachi exemplum secuti in genere elegiaco se totos fere ad Mimnermi imitationem dederant. Cur vero Mim-

nermo Callinus additus, bellicus poeta? quod genus, quamvis praeclare tractatum, omnino non magis Alexandrinis, quam Quintiliano, placuisse videtur, qui posteriore loco, quem laudavimus, nativum Tyrtaei vigorem, licet hunc Homero subiungat Horatius, fucatae Callimachi et Philetae elegantiae postponit. Cur porro solus praeter Mimnermum receptus Callinus, non aeque Tyrtaeus, Callini simillimus? An Callini carmina Tyrtaeo praestare videbantur? Sit ita: et est sane Callini fragmentum a Stobaeo servatum Tyrtaei reliquiis prope gnomicis quodammodo praeferendum. Neque vero Hesiodum numero eximebant, quia praestabilior videbatur Homerus. Tu noli dubitare, quin accesserit certe alia ratio. Quippe omnis tollitur difficultas, si Aristarchum atque Aristophanem elegiaci carminis inventionem Callino tribuisse credideris. Nimirum recepti Callinus et Mimnermus, alter, quia a poetarum iudicibus elegiae non solum insignis auctor, sed etiam inventor habitus est, partim omnino alendi lectione eius ingenii, sed partim etiam memoriae caussa, alter, quod omnium maxime placuit Alexandrinis, ad imitationem. Imitari ne poterant quidem Callinum, quandoquidem in bellis unica virtus erat paruisse regis imperio.

Est autem summorum haec sententia grammaticorum de Callino inventore minime inepta, uti sunt nugae, quas ante proposui, de Theocle ceterisque. Esset sane, si Suidae v. *Ὄλυμπος Μαίονος* credendum esset, veterem iam Olympum scripsisse elegos. Sed nimirum carmina elegiaca si qua Olympi nomine exstabant Aristarchi et Aristophanis aetate, ab his viris, qui Callinum, ut modo vidimus, inventorem elegiae censuisse videri debent, sine dubio haec sunt in eorum numero habita, quae antiquissimo cuique poetae certatim ab otiosis hominibus affingi solebant. Ac magis etiam probabile est, carmina ista, quippe quae non sint explosa

ab iis, qui Callino elegiae inventionem assignabant, sed, quantum quidem hodie iudicare licet, prorsus non commemorata, postea demum, nec multo fortasse ante ipsa Suidae tempora esse conscripta. Quanquam ne hoc quidem admittere opus erit, si omnem hanc narrationem de carminibus elegiacis iam ab Olympo conditis commentum esse dicas, ex fama natum de lugubribus cantilenis ab eodem compositis. Quod quidem posterius puto nemini, si legerit ea, quae de loco Pausaniae et Plutarchi in Appendice a nobis sunt disputata, non omnium visum iri verisimillimum.

Neque profecto audiendus Souchaeus, qui ipsa fragmenti Calliniani praestantia sententiam de elegiae inventione huic tribuenda redargui contendit in Comment. Acad. Inscript. Paris. T. VII. p. 366. Quasi vero post Homerum qui primus carminibus pentametrum adhiberet, eo ipso ad rudia et agrestia omnis poesis initia debuisse relabi existimandus sit.

Addidit aliud Gallus sive argumentum, sive Gallicae levitatis specimen, quo scilicet suspectam redderet sententiam de Callino inventore, ductum illud e Strabone XIII. p. 604 (901). Callinum, ait, teste Strabone primum vulgasse fabulam de Apolline Smintheo. At certum esse ex Homero Iliad. *α*, 59, hunc deum Sminthei nomine diu ante Callinum esse celebratum. Non igitur primum hanc fabulam a Callino excogitatam, et certe de hac re antea aliquid traditum esse. Callinum fortasse primum in poemata sua fabulam recepisse. Dicere voluit, Callinum ex opinione Strabonis primum excogitasse fabulam: quod falsum esse, quum eam Homerus iam attigerit ante Callinum. Callinum forsitan magis eandem excoluisse ac propagasse. Similiter carmen elegiacum non inventum a Callino, sed magis excultum ac propagatum videri. Quae quam incogitanter chartis, ut poetae verbis utar, illita sint, vel ex eo ap-

paret, quod ipse Strabo attulit Homeri locum: quod scilicet minime fecisset, si ipsius sententia cum illo conciliari non posset. Non pauca sunt, quae de Apolline Smintheo etiam post Heynii Observationes ad versum Homericum dici possint, qui quidem vere a Troica urbe Sminthei cognomen repetit Aristarchum secutus. Sed dixisse nunc sufficiat, e Strabonis sententia, quae una huc pertinet, originem nominis *Σμινθεὺς* esse a muribus, qui Cretica dialecto *σμίνθοι* sive *σμίνθαι* vocabantur, recte derivatam, sed fabulam, quam affert, de muribus, postea demum ad originem nominis accuratius explicandam confictam et cum Teucrorum historia coniunctam. Historiam huic fabulae accommodāri et immisceri dicit his verbis: *συνοικιοῦσι δὲ καὶ τὴν ἱστορίαν εἰς τὸν μῦθον τούτῳ τῷ τρόπῳ τὴν περὶ τῶν μυῶν.* Pro *συνοικιοῦσι* novissimus in Germania editor *συνοικειοῦσι* reposuit. Recte. Sed tamen excidisse aliquid putandum est, quod possit cum *εἰς* et accusativo construi. Quare locus ita erit restituendus: *συνοικειοῦσι δὲ καὶ συνεισφέρουσι καὶ τὴν ἱστορίαν εἰς τὸν μῦθον τούτῳ τῷ τρόπῳ τὸν περὶ τῶν μυῶν.* Quam emendationem pluribus tueri nihil attinet. Hoc addo, narrationem de muribus *μῦθον* esse, non *ἱστορίαν*, ideoque *τὸν* pro *τὴν* esse necessariam correctionem; neque aliter bene se habere sententiam, quae haec est: *Accommodant autem et inferunt historiam quoque in fabulam de muribus hoc modo.* Hinc sequitur narratio de Teucris ex Creta in Troadem profectis, idcirco, ni fallor, cum fabula de muribus coniuncta, ne mira Cretica murium appellatio videretur. Sminthei cognomen inditum Apollini esse oraculi caussa, quo Teucros istos ibi habitare iusserit, ubi ipsos terrigenae adorirentur; quod factum esse circa Hamaxitum, Troicam urbem, a muribus terrestribus, qui rodendo aggrederentur, quidquid in armis et utensilibus esset factum e corio. Atqui nemo non videt, hanc fabulam,

ita cum Teucrorum historia coniunctam, excogitatam autem falsae notationis gratia, grammaticorum quaestiones Homericas redolere, neque igitur antiquiorem, sed e contrario longe recentiorem esse, quam quae cadat in Callinum Ephesium. Neque etiam dicit Strabo, esse fabulam aut primum a Callino confictam, aut omnino in elegis eius repertam. Verba sunt: *Τοῖς γὰρ ἐκ τῆς Κρήτης ἀφιγμένοις Τεύκροις* (*οὓς πρῶτος παρέδωκε Καλλῖνος, ὁ τῆς ἐλεγείας ποιητής· ἠκολούθησαν δὲ πολλοί.*) *χρησμὸς ἦν*, etc. Aperte non de fabula, quo aberravit magnus Casaubonus, sermo est, sed de Teucris, quorum historiam cum fabula iungebant grammatici. Hos obiter Strabo narrat a Callino primum esse memoriae proditos, deinde a multis commemoratos. Hinc vero nihil effeceris, quo sententiam grammaticorum, qui Callinum elegiaci carminis inventorem ferebant, vel in levissimam suspicionem trahas.

Horatius tamen, qui elegiam initio lugubrem fuisse putabat, hanc ipsam ob caussam Callinum elegiae inventorem agnoscere potuit minime. Fuit enim Callinus bellicus poeta, neque ullum eius vel commemoratur lugubre carmen, vel ingenio eius, si commemoraretur, consentaneum videri posset. Memoratur quidem a Strabone Callini *λόγος πρὸς Δία*, quem putet quispiam bellicosum non fuisse. Sed hoc ut concesseris, quid amplius inde colligi licebit, quam carminum varii generis auctorem fuisse Callinum, et fieri potuisse, ut lugubres etiam faceret elegias, quarum ad nos ne mentio quidem pervenisset. Testimonium de lugubribus elegis a Callino conditis nullum vel sic esset. Quid? quod ne illud quidem concedi potest. Etenim *λόγος πρὸς Δία* bellicosa sine dubio, sicut ceterae omnes, elegia fuit, in qua Iovem precabatur poeta, ut civibus opem ferret adversus Trerum, Cimmericae gentis, impetum. Audiamus ipsum Strabonem XIV. p. 633 (939): — *ἡνίκα καὶ Σμύρνα*

ἐκαλεῖτο ἡ Ἔφεσος. καὶ (adde γὰρ) Καλλῖνός που οὕτως ὠνόμασεν αὐτὴν, Σμυρναίους τοὺς Ἐφεσίους καλῶν ἐν τῷ πρὸς Δία λόγῳ·

Σμυρναίους δ' ἐλέησον,

καὶ πάλιν·

Μνῆσαι δ' εἴκοτέ τοι μηρία καλὰ βοῶν,

ubi recte I. Scaliger et Casaubonus iudicant deesse haec aut similia:

Σμυρναῖοι κατέκηαν.

Argumentum carminis recte a nobis constitutum esse, tam perspicue ipse Strabonis locus declarat, uberius ut rem exponere nihil opus esse videatur. De bello enim contra Cimmerios necessario cogitandum esse, quod unum e Strabonis verbis non intelligitur, ex eo patet, quod hi soli, ut infra docebo, non item Magnetes, Callini aetate in Ephesios impetum fecere. Ceterum similiter Theognidis versus 771. (751.) usque ad 786. (766.), ubi is Apollinis auxilium implorat contra Medorum exercitum, dici poterunt λόγος πρὸς Ἀπόλλωνα; in quibus scribendis vix dubito quin Theognis habuerit ob oculos λόγον πρὸς Δία Callini.

Restat eorum sententia, qui Archilochum Parium elegiae inventorem censebant. De hac Liebelius in Comment. de Vita et Scriptis Archil. X. p. 28. praeter Marii Victorini et Orionis Thebani loca supra allata, quibus addere debebat locum illum, quem ibidem posui, ex Etymologico inedito a Ruhnkenio prolatum, alium commemoravit Victorini locum in Art. Grammat. IV. p. 2588. item Isidori locum Orig. I. p. 33. supra, ubi de Polymnesto sermo erat, a nobis allatum, et haec Plutarchi, de Musica p. 1141. A: πρώτῳ δὲ αὐτῷ (τῷ Ἀρχιλόχῳ) τά τε ἐπῳδὰ καὶ τὰ τετράμετρα — ἀποδέδοται, — ὑπ' ἐνίων δὲ καὶ τὸ ἐλεγεῖον, etc. Quibus locis ad rem aptissimis addidit unum, quem nescio quomodo referre eodem potuerit, Diomed. III. p. 502: *Sed et hoc acci-*

piendum est, quod geminum comma, id est elegius pentameter, hexametro subiungitur, sed, ut Archilochus invenit, et dactylica tome. Sic *elegus* scripsi, quod sententia flagitat, *elegius pentameter. Elegium* eodem modo vocat pentametrum, quo Marius Victorinus Art. Grammat. III. p. 2552. *metrum elegium* dicit et ibid. p. 2556. *versum elegium*, more Graecorum, ut contra adiectivum ἐλεγειακὸς more Romanorum usurpavit Dionysius Halic. de Compos. Verbor. XXV. p. 232. (388.), et quos ibi commemoravit Schaeferus. Poteris etiam corrigere *elegeus pentameter*, quam formam et ipsam alicubi (locum nunc reperire nequeo) me legere memini. Similiter ἐλεγείαν raro quidem, sed dici tamen *elegeam*, ἐλεγεῖα autem *elegia* et *elegea*, vel e Lexicis notum est. Dicat quispiam, nomen *pentameter* omnino inserendum, sed *elegus* retinendum et adjectivi instar positum esse, ut ter praeterea in eadem hac pagina, ubi nos non minus, quam hoc loco, pro *elego pentametro*, *elegum metrum* et *pentametrum elegum* scribendum censemus *elegio* vel *elegeo pentametro*, et sic porro. Nempe hoc quaeritur, num necessaria haec sit emendatio, quam facilem esse, partim quod rarior forma est, quam reposui, partim quod eius, quam reieci, simillima, nemo negabit. Est autem utique necessaria, nisi forte grammatico id facere licuit, quod ne Euripides quidem, qui tamen more poetarum substantivo nomine omnino tanquam adiectivo uti poterat, facere sustinuit, ut nomen ἔλεγος adiectivi loco usurparet. De Euripide, ad quem solum de hoc usu provocabatur, vide Seidlerum ad Eurip. Iphig. Taur. v. 1091. (1061.), quocum conferas velim Hermannum in Append. ad Viger. p. 899. Sed ad Liebelium revertamur, qui elegiaci carminis Archilocho a Diomede inventionem tribui affirmat. Quo quidem aperte declaravit, se *tomen dactylicam* de pentametro elegiaco accepisse. At

hoc potius dicit grammaticus, non modo pentametrum elegiacum, verum etiam tomen dactylicam, diversam igitur a pentametro, hexametro subiungi, et hoc metrum, ab elegiaco diversum, ab Archilocho esse inventum. Pentametrum elegiacum *geminum comma* vocat, id est *dimetrum penthemimericum*, ut Plotius loquitur de Metr. p. 2637, ubi pro *Aeolico* iam supra monui *elegiaco* esse scribendum. Cui opponitur *dactylica tome*, hoc est simplex comma, penthemimeris, quam, ubi hexametro annectitur, *epodon* vocant grammatici. *Tomen* autem, quam proprie caesuram esse non ignoro, de commate accipi posse, monere vix opus est; occurrit enim non semel hac potestate, ut apud Marium Victorin. Art. Grammat. IV. p. 2589. et 2593. Idem recte animadvertit Dorvillius in Vanno Crit. cap. IX. p. 325. qui tamen accuratius, quam fecit, locutus esset, si *κόμμα* proprie, *τομὴν* et *caesuram* improprie ipsam versus partem, quae caesura terminatur, appellari dixisset. Quid igitur? An elegiaci metri inventionem Archilocho Diomedes tribuit? Eodem iure contendere possis, Horatii carmen: *Diffugere nives, redeunt* etc. ubi hexametro epodus eiusdem generis, sive, ut Diomedes ait, dactylica tome subiungitur, metro elegiaco scriptum esse. Metri autem, quo hoc carmen scripsit Horatius, non tantum Diomedes, sed etiam Marius Victorinus Art. Grammat. III. p. 2551, ne dicam alios, qui epodorum cuiusque generis Archilocho inventionem assignant, Archilochum inventorem fuisse scribit; unde obiter corrigendum turpe vitium apud ipsum Diomedem III. p. 526. l. 8. ubi ab oscitante librario *Asclepiadeum* scriptum legitur pro *Archilochium*. Nec sane res, de qua nunc agitur, Diomedis testimonio indiget, siquidem reliqua loca, Archilochum a nonnullis esse elegiaci carminis inventorem habitum, abunde declarant. Et haec non Aristarchi quidem et Aristophanis, qui

Callinum elegiae inventorem esse iudicabant, sed tam antiqua tamen atque a tantis viris probata fuit sententia, ut Horatius adhuc sub iudice litem esse diceret.

Contemni haec sententia ac pro nihilo putari solet a viris eruditis, qui quidem, ne iis quidem exceptis, a quibus Callinus post veram aetatem Archilochi collocatur, sumunt omnes, quod docere debebant, recte statuere Strabonem et Clementem Alexandrinum, quum existimant, Archilochum recentiorem esse Callino, ignorantes illi, in ipsa quaestione de aetate Callini, quem alii antiquiorem, alii recentiorem Archilocho ferebant, omnem fuisse veterum controversiam de elegiae origine positam. Haec nunc quidem attigisse satis est. Eodem enim deinde redibit disputatio nostra, quum praeter Horatii sententiam de elegia initio lugubri nihil impediat, quo minus aut Callinum aut Archilochum inventorem elegiae credere debeamus, et hac refutata omnis quaestio ab utriusque poetae aetate pendeat. Quod enim de Callino supra vidimus, per se, siquidem ab ista sententia discesseris, nihil obstare, quo minus is inventor elegiaci carminis esse potuerit, idem valet de Archilocho, qui non video quidni per se tam elegiaci quam tot aliorum inventor metrorum videri possit.

Sed repugnat Horatiana sententia de elegia principio lugubri; nec magis Archilochi, quam Callini, funebres erant elegiae. Neque enim respondere difficile erit, si quis obiiciat, tot Archilochi carmina esse deperdita, ut ex paucis, quae ad nos pervenerint, eorum fragmentis fieri iusta conclusio non queat, praesertim in poeta, qui non in uno, ut Callinus, sed quasi Proteus quidam in omni genere, quod quidem vellet attingere, fuerit pariter insignis. Nempe hoc ipsum est, quod negandum puto, Archilochum querula ac lugubria carmina, quum posset, voluisse scribere. Ubi enim magis querimoniae locus est, quam quum affinem lugeas fluctibus

obrutum et insepultum? An flebile carmen ab eo exspectabis, qui in tanta calamitate ita loquitur?

Οὔτε τι γὰρ κλαίων ἰήσομαι, οὔτε κάκιον
θήσω, τερπωλὰς καὶ θαλίας ἐφέπων.

quod Archilochi fragmentum exstat apud Plutarchum de Audiend. Poet. p. 33. B. Ad eandem elegiam referri solet aliud fragmentum apud Stobaeum Serm. CXX. p. 615. ed. Gesner. ubi dulcissimum Pericli amico solatium praebet, et patientiam ait ad ferenda intolerabilia mala a diis remedium esse datam. Recte, ni fallor: neque id in poeta, cuius non minor, quam Horatii et lyricorum fere omnium, est inconstantia, mirabile videri potest. Sed ne in hoc quidem fragmento ullum est tristitiae aut querimoniae signum. Immo in hoc ipso fragmento Archilochus a femineo luctu abstinendum esse dicit v. 10:

τλῆτε, γυναικεῖον πένθος ἀπωσάμενοι.

Tertium eiusdem carminis frustulum habemus apud Schol. ad Apollon. Rhod. I, 824. quod recte huc traxit Liebelius ad Archil. Reliq. p. 155 seq. Idem denique de eodem carmine accepit Longini locum de Subl. X, 7. quem Tollius ad tetrametrum trochaicum retulerat. Ubi tacendum non erat, hanc non suam esse, sed Fabri, Langbaenii et aliorum interpretationem, quam concedo Tollianae praeferendam videri. Quae si vera est, *παθητικὴ* in eadem elegia de omni naufragio narratio legebatur, cuius hoc postremum fragmentum erat fortasse particula. In hac vero narratione principem locum ipsius Archilochi calamitas, affinis sui iactura, occupare debebat; neque haec poterat sine aliqua doloris significatione commemorari, quae tamen in isto carmine flebilis esse haudquaquam potuit, nisi forte animum a luctu revocat, seque consolari studet, nec potius suam ipse contemnit ac ridet calamitatem, qui ita loquitur, ut Archilochus eo loco, quem principio attuli. Neque

de flebili querimonia cogitare cogunt verba Plutarchi de Audiend. Poet. p. 23. B. ad eandem elegiam iam a Iacobsio relata: ὅταν δὲ (Ἀρχίλοχος) τὸν ἄνδρα τῆς ἀδελφῆς ἠφανισμένον ἐν τῇ θαλάττῃ καὶ μὴ τυχόντα νομίμου ταφῆς λέγῃ θρηνῶν, μετριώτερον ἂν τὴν συμφορὰν ἐνεγκεῖν,

εἰ κείνου κεφαλὴν καὶ χαρίεντα μέλεα
Ἥφαιστος καθαροῖσιν ἐν εἵμασιν ἀμφεπονήθη,

et quae sequuntur. Ut tamen urgeas illud θρηνῶν, et flebilem in hoc carmine repertam esse querimoniam, non tantum leviculam doloris significationem, credas; hoc certe, quocunque te vertas, largiendum erit, totum carmen non modo lugubre, sed eiusmodi fuisse, ut lugubre ab eius auctore ne exspectari quidem possit. Sed fac, Archilochum bis terve ostentandi ingenii caussa contra naturam suam lamentatum esse. Ideone Horatio credibile videri poterat, Archilochum inventorem esse elegiae, quam initio fuisse lugubrem putabat?

Sin falsa haec est Horatiana sententia de elegia principio lugubri, non solum credi potest grammaticis, qui vel Callinum vel Archilochum inventorem elegiae censebant, sed necessario credendum est, alterutrum re vera inventorem esse habendum. Est enim parum credibile, ad Aristarchi et Aristophanis, qui Callino, et aequalium aut certe non multo posteriorum aetatem grammaticorum, qui Archilocho inventionem tribuebant, veri inventoris ne mentionem quidem pervenisse. Nam quum plerumque parva et exigua cuiusque rei initia ac propter hoc ipsum obscura esse soleant, secus est in carmine elegiaco, neque ignobilem poetam fuisse necesse est, qui post epicam poesin ad summum perfectionis gradum ab Homero evectam hexametro primus pentametrum addidit, eoque ad reliqua metra invenienda transitum fecit. Omnino novorum inventores metrorum, quorum inventio semper est metri antiquioris huiusmodi immutatio quaedam, quae cum argumenti no-

vitate arctissime cohaeret, celeberrimi solent esse poetae. Sed omnium maxime admirabilis is debet videri, nec facile potuit summis grammaticis Alexandrinis, qui certare de eo et ambigere omnino poterant, prorsus ignotus esse, qui primus omnium novum metrum adiecit heroico. Quod si ipse fecit Archilochus, qui tot alia metra invenit, hoc sane princeps eius inventum fuit: sin alius ante eum, huius profecto nomen, nisi miro quodam ac singulari casu, non magis potuit interire, quam ipsius Archilochi.

Idem plus etiam apparebit, quum Callinum aetate ad Homerum proxime accedere docuero. Neque enim credibile est, *ἀοιδὸν* Callino antiquiorem invenisse metrum elegiacum, et nihilo secius his tam antiquis temporibus carmina eius non esse toties decantata, ut auctoris saltem aliqua mentio ad grammaticos Alexandrinos perveniret. Erunt fortasse, qui dicant, nullum inter Callinum et imitatorem eius Tyrtaeum, quos infra patebit haud exiguo temporis spatio inter se distare, poetam elegiacum commemorari, quum tamen hoc genus certe non prorsus neglectum tamdiu iacuisse videatur. Ut autem posteriorum Callino, sic etiam antiquiorum hoc in genere poetarum et ipsius forsitan inventoris his etiam antiquissimis temporibus oblitterari memoriam potuisse. Utrumque sic accidisse videri, ut variorum carmina poetarum posteriorum Callino, posthabitis antiquioribus, communi sint Callini, praestantissimi hoc in genere *ἀοιδοῦ*, nomine comprehensa. Et factum esse id quidem constat in Homero, et potuit fieri facillime: in Callino, cuius carmina magis etiam, quam Tyrtaei, in re praesenti versabantur, non modo non constat factum esse, sed minime potuit fieri. Quodsi inter Callinum atque Tyrtaeum unus et alter poeta elegiacus intercesserit, hoc sine dubio Aristarcho non aeque ac nobis fuit ignotum. Neque poetae antiquitas

ab heroico metro, quod diu etiam post Callinum regnum tenebat, videntur saepe recessisse. Atqui hoc ipsum, quod tantus non erat numerus poetarum elegiacorum, ut alter alterius obscurare memoriam potuerit, temerarium fore confirmat, si quis nisi in summa necessitate vel suspicetur, carmen elegiacum neque a Callino neque ab Archilocho, sed ab antiquiore quodam poeta inventum esse, qui ignotus fuerit grammaticis Alexandrinis.

Verum ut illuc redeam, urgeret profecto necessitas talis, si probabilis esset sententia Horatiana de elegia initio lugubri. Quare modestiae tribuendum Horatii, quod adhuc sub iudice litem esse dixit, quippe qui, si ipse certum sibi in controversia de inventore carminis elegiaci sumsisset arbitrium, haud dubie affirmasset, neutram sententiam, nec de Callino nec de Archilocho veram esse, et inventorem prorsus ignotum. Nimirum ipsam Horatii opinionem de elegia principio lugubri mox patebit ex antiquissimorum locis grammaticorum male intellectis haustam videri. Hos autem grammaticos, quum partim Callinum, partim Archilochum inventorem perhiberent, non ausus est Horatius inconstantiae accusare, quamvis ipse, quum veritatem illius sententiae de elegia initio funebri non dubiam haberet, lugubrium elegorum poetam iam ante Callinum et Archilochum elegiae inventorem credere deberet.

Laudabilis haec in poeta modestia est: in critico vituperanda timiditas esset. Quodsi amplexus fueris Horatii sententiam de elegia initio lugubri, acquiescendum erit in ea sententia, quam Horatius non ausus est pronunciare, *ἄλυτον* esse quaestionem de origine carminis, et inventoris ne mentionem quidem ad grammaticos Alexandrinos, nedum ad nos, pervenisse. Unde patet, istam Horatii sententiam data opera debere examinari, antequam de inventore quidquam statuere liceat. Prius-

quam vero ad hanc quaestionem accedam, paucis dicendum videtur, quo tendat, quae nunc sequitur, argumentatio nostra. Ostendam igitur, elegiam non initio, sed apud Atticos demum Simonidis Leoprepidae tempore funebrem fuisse, neque igitur dubitari ullo modo posse, quin aut Callinus fuerit aut Archilochus inventor. Est autem lugubris elegia nulla alia, quam quae proprie ἔλεγος dicitur, ut nihil differat id, de quo nunc agitur, a quaestione de origine carminum, quae primum ac proprie ἔλεγοι sint appellata, sive quod idem est, siquidem in Simonidis aetate, in quo prima huiusmodi carminum vestigia inveniuntur, origo ipsius nominis ἔλεγος necessario ponenda est, a quaestione de origine nominis ἔλεγος. Significat enim ἔλεγος, ut tribus verbis rem complectar, lugubre carmen distichis compositum, quod quidem non sit epigramma, nunquam lugubre carmen alio metro; carmen autem distichis quidem scriptum, sed non lugubre, apud Romanos demum *elegus* dici coepit: Graeci tale carmen, si epigramma non erat, derivato inde nomine et ad universum metri genus traducto, ἐλεγείαν, ipsum vero distichum ἐλεγεῖον, et plura omnino disticha, sive uno vel epigrammate vel alio carmine cuiusvis argumenti, sive pluribus comprehensa, plurali numero ἐλεγεῖα vocabant. Distichum brevitatis caussa simpliciter dico hexametri et pentametri coniunctionem, ceteroquin haud ignarus, veteres binos omnino versus cuiuscunque mensurae appellasse hoc nomine. Nomina autem illa apud Atticos demum a Simonidis inde tempore usurpari coepta: ante Simonidem elegiaca carmina una cum heroicis ἔπη vocata.

Iam ut missum tantisper Simonidem faciam, ac primum universe ostendam, apud Atticos demum lugubris elegiae originem esse quaerendam, nullum aio ex istis nominibus reperiri ante Atticorum aetatem, ac

tum demum derivata nomina ἐλεγεία et ἐλεγεῖον esse de antiquioribus etiam carminibus eodem metro compositis usurpata; id quod unus omnium nostra memoria animadvertit Boettiger, cuius sententia erit mox exploranda. Sin quis ita nobis occurrat, ut loca Atticis antiquiora, in quibus haec nomina olim exstiterint, casu fortasse nunc esse deperdita existimet, hoc ut per se probabile sit, repugnat tamen auctoritas antiquissimorum grammaticorum. Namque ad ipsum illum Atticorum usum loquendi, qui primi ἔλεγον per θρῆνον interpretati sunt, respexerunt grammatici, bene illud intelligentes, quod fugit Horatium, nominis originem distinguendam ab ipsius origine carminis, ac multo postea in Atticorum aetate esse ponendam. Nimirum in Atticorum scriptorum locis, non in vanis ariolationibus de etymologia nominis ἔλεγος, fons est illius interpretationis quaerendus; neque etiam illud a veterrimis neglectum grammaticis, talia loca demum aqud Atticos inveniri. Sed paullo diligentius singula persequamur.

Varias grammaticorum notationes nominis ἔλεγος enumerare nihil attinet. Dixisse sufficiat, suam fere quemque enodationem communi omnium sententiae accommodasse, qua ἔλεγον per θρῆνον interpretantur. Hoc autem facere minime poterant, si hanc vim nominis finxissent ex etymologia, nec potius perspectam habuissent ex usu loquendi Atticorum. Quodsi reperias posteriorum loca grammaticorum, qui ex etymologia nominis ad propriam eius significationem fecerint conclusionem, ad istos cave antiquissimos exigas grammaticos Alexandrinos. Nempe posteriores isti homines ex rivulis hauriebant, ex locis antiquiorum grammaticorum, non ex fontibus, qui sunt apud Atticos. Duo apponam loca huiusmodi. Suidas: *Ἔλεγος, θρῆνος· ἀπὸ γὰρ τοῦ ἒ ἒ λέγειν*, etc. Eustathius p. 1673. l. 49: — *τοῖς παρ' Ὁμήρῳ ἀοιδοῖς θρήνων ἐξάρχοις. οἷς ἐοίκασι καὶ οἱ*

τοὺς ἐλέγους (vulgo ἐλεγείους, quae e sequentibus orta corruptio) ᾄδοντες, εἴγε παρὰ τὸ ἒ ἒ λέγειν (sic enim legendum pro ἐλέγειν) ὁ ἐλεγεῖος παράγεται στίχος. Qua argumentatione sane non usi essent uterque, nisi de ipsa nominis etymologia consuluissent grammaticos, qui propriam vim nominis ex Atticorum ratione loquendi tenebant. Idem ex eo etiam intelligitur, quod nulla est derivatio nominis ἔλεγος, quae propriam τοῦ ἐλέγου materiam lugubrem potius, quam aliam quamcunque querimoniam facere cogat. Nolo rem cuique obviam multis confirmare. Hoc adiecisse non supervacaneum erit, exclamationem ἒ ἒ non tantum lugubrem esse, sed ipsa passim apud Aeschylum in Prometheo et alibi omnino dolorem exprimi. Ceterum in Prometheo perperam in novissimis etiam exemplis ἓ ἓ scriptum habemus cum falsa adspiratione. Nec possum hic praeterire locum epistolae Sapphus in Ovid. Heroid. XV, 7, quem prius iam attigi:

Flendus amor meus est: elegeïa flebile carmen.

Videlicet iste poeta, quem Ovidium putare vel codicum testimonia vix permittunt, unus omnium, quod sciam, neglecta Atticorum loquendi consuetudine solam etymologiam spectavit. Aliter Ovidius, ubi Tibulli obitum deplorat, Amor. III, 9, 3 seq.

flebilis indignos Elegeïa solve capillos;
heu! nimis ex vero nunc tibi nomen erit.

Quo in disticho, si ab ipsa etymologia discesseris, nil reprehendas, nisi quod notatio primitivi nominis ἔλεγος ad derivatum nomen ἐλεγεία extenditur, quod quidem unice ad metrum, non ad lugubre argumentum pertinet. Sed hoc, quod in grammaticis mox vituperandum erit, aequum est condonare poetae. Illud certe haud neglexit Ovidius, ἔλεγον non esse omnino querulum, sed lugubre carmen. Alter ille poeta hos ipsos Ovidii versus habens ob oculos expressit perversa imitatione.

Postremum idque gravissimum argumentum, unde cognoscas, grammaticos, qui primi ἔλεγον per θρῆνον explicabant, in hac interpretatione non esse etymologiam, sed Atticorum loquendi usum secutos, in eo positum est, quod nullum a grammaticis probabile nominis ἔλεγος etymon est excogitatum. Nam si fortuito vel per se fieri non potuit, ut complures falsae nominis enodationes cum vera eiusdem significatione conspirarent: multo etiam luculentius idem illud ex eo apparet, quod nulla est vera nominis notatio, ad quam reliquae exigi potuerint. Quanquam ne per se quidem credibile est, varias de etymologia nominis opiniones aliam alii, nec potius, ut ante dixi, omnes Atticorum usui loquendi aliunde cognito accommodatas esse et aptatas. Sed illud video probandum esse, nullum nominis etymon probabiliter posse defendi. Omittam grammaticorum explosas iam dudum ab eruditis ariolationes, quibus haud vereor, ne quisquam velit amplius subvenire. Ab ἒ ἒ λέγειν recte nomen ἔλεγος deduci, hodie omnes, puto consentiunt, excepto viro docto, qui nuper in Ephem. litter. univ. Vindob. a. 1814. mense Aug. p. 1010. reprehendit hanc enodationem. Et is quidem istius reprehensionis nullam aliam affert rationem, quam quod antiquissima carmina elegiaca lugubria non fuerint, etymologiam autem niti oporteat in priore, non in seriore usu nominis. Quasi vero non ipsum nomen una cum lugubri elegorum materia usurpari coeptum esset. Sed aliam ob caussam certe suspecta videri debet notatio ista, licet alia quacunque melior sit. Quid quaeris? Analogiam desidero, quae quidem paullo severius iudicanti satisfacere possit. Nam qui contentus sit iis, quae H. Stephanus affert in Thes. L. Gr. T. I. p. 1067, οἰμώζειν, φεύζειν et ὤζειν, fore neminem confido. Nomen, nedum nomen generis cuiusdam poesis, quod sit ex interiectione et verbo compositum, nullum in omni Grae-

ca lingua reperias. Nimirum *αἴλινος*, unicum illud, ni fallor, nomen, quod interiectionem contineat, non est ex hac et verbo compositum. Atque etiam huius nominis alia plane ratio est. Videtur enim *Αἲ Λίνος*, vel *Αἲ Λίνον*, carminis cuiusdam initium fuisse, ut *ἰόβακχος* carmen est, quod incipit *Ἰὼ Βάκχε*, notante Bentleio ad Horat. Serm. 1, 3, 7; id quod egregie Heinrichium observare memini. Deinde facilius etiam ferri posset notatio ista, si *ἔλογος* nomen esset, quam quum sit *ἔλεγος*. Has fere dubitationes vix conceptas iam plane abieceram, quum easdem mihi Heinrichius, vir praeclarus, per colloquium denuo iniectas plus acueret. Sed vel sic aliquamdiu anceps haesi propter Euripidis locum in Iphig. Taur. v. 141. seqq. quem Seidlerus ita constituit:

ἰὼ δμωαὶ,
δυσθρηνήτοισιν θρήνοις ὡς
ἔγκειμαι, τᾶς οὐκ εὐμούσου
μολπαῖσι βοᾶς, ἀλύροις ἐλέγοις
ἒ ἒ, ἐν κηδείοις οἴκτοις, etc.

Nam sive anapaestos spondiacos, quibus hic lamentatur Iphigenia, sive ipsos inconditos clamores *ἒ ἒ, ἐλέγους* dici credas, confirmant hi versus, si integri sunt, etymon illud. Sed mox intellexi, locum sic nondum persanatum esse. Est enim non solum illa significatio, qua anapaesti sic dicerentur, sed etiam haec altera plane inaudita. Scripsit, ni fallor, Euripides:

ἰὼ δμωαὶ,
δυσθρηνήτοισιν θρήνοις ὡς
ἔγκειμαι, τᾶς οὐκ εὐμούσου
μολπαῖσι βοᾶς ἀλύροις, ἐλελεῦ,
ἒ ἒ, ἐν κηδείοις οἴκτοις, etc.

Aeschylus Prometh. v. 877. (883. ed. Brunck.):

Ἐλελελελεῦ,

ubi Schol. *θρηνῶδες ἐπίφθεγμα.* Adde Hesychii locum:

Ἐλελεῦ. — τίθησι δὲ αὐτὸ Αἰσχύλος ἐπὶ σχετλιασμοῦ ἐν Προμηθεῖ Δεσμώτῃ. Haec omiseram: sed addidi auctore Heinrichio, ne quis Lexico suo adduci se pateretur, ut exclamationem hanc bellicam tantum esse putaret. Quam facile autem *ἐλελεῦ* in *ἐλέγοις* mutari potuerit, monuisse sat est, praesertim si librarius in mente habuerit hunc versum:

Ὅμαδον ἔκλυον, ἄλυρον ἔλεγον,

qui versus exstat in eiusdem Eurip. Hel. v. 186. Poteris etiam aliter emendare: sed nostra omnium facillima videtur correctio.

Ponderatis his omnibus dubitare nemo poterit, quin grammatici, loca Atticorum scriptorum, non etymologiam, secuti, primum *ἔλεγον* sint per *θρῆνον* interpretati. Sed quid opus est ratiocinari, ubi rem licet plano et evidenti testimonio conficere? Quid? si eiusmodi est testimonium, ut etiam demonstret illud, quod ratiociniis illis non efficitur, intellexisse grammaticos antiquissimos, usum nominis *ἔλεγος* de lugubribus carminibus deberi Atticis, ideoque longe recentiorem esse ipsius elegiaci carminis inventione. Est autem memorabile huiusmodi dictum Draconis Stratonicensis, grammatici Apollonio Dyscolo prioris, in libro de Metris Poeticis non ita pridem a Godofr. Hermanno in lucem prolato p. 161. seq. *Τὸ ἐλεγεῖον μέτρον παρωνόμασται ἀπὸ τοῦ ἐλέγου, ὃ σημαίνει παρ' Ἀττικοῖς τὸν θρῆνον, ἀπὸ τοῦ ἐλέου καὶ γόου παραγομένου. εἰώθασι γὰρ χρῆσθαι τούτῳ ἔν τε θρήνοις ἐπιταφίοις καὶ ἐπιγράμμασι.* Apparet, ut omnem librum egregie Hermannus docuit nil nisi epitomen esse libri, quem scripserat Draco de metris, varie interpolatam, ita etiam hunc ipsum locum non esse ab omni interpolatione vacuum et immunem. Verba *ἀπὸ τοῦ ἐλέου καὶ γόου παραγομένου* falsam quidem nominis notationem continent, nec tamen a grammatico tam antiquo alienam; et hinc Etym. M. v. *Ἐλεγεία* (vulgo

Ἐλεγεῖα): — ἡ παρὰ τὸν ἔλεον καὶ τὸν γόον: qui tametsi per se potuit ad alium grammaticum, cuius verba huc sint ab interpolatore translata, respicere, hoc tamen sine caussa idonea credere nefas esset. Sed ultima verba, quae ita aperte sunt corrigenda: εἰώθασι γὰρ χρῆσθαι τούτῳ ἔν τε θρήνοις καὶ ἐπιταφίοις ἐπιγράμμασι, haec verba vehementer dubito annon ab ipso Dracone profecta sint. Nam si ad Graecos in genere spectant, repugnant initio huius loci; sin ad Atticos tantum, habent sententiam veram quidem, quatenus ad threnos, at ineptam, quatenus ad sepulcralia epigrammata pertinet, quandoquidem haec iam Sappho fecerat elegiaco metro. Continent etiam haec verba vestigium erroris, quem mox refutabo, quo quidem seriores grammatici epigrammata non metri, sed lugubris argumenti caussa, ἐλεγεῖα vocata esse putabant. Adscripta videri debent ad locum Draconis e posteriori quodam grammatico, quem Plotius exscripsit de Metris p. 2634: *Elegiacum metrum dictum est, quod ἒ ἒ* (nam ita scribendum esse pro *esset*, quod natum ex Latinis litteris *e e*, egregie admonuit minus recte me corrigentem Heinrichius) *sonat interiectionem flentis; et hoc metro mortuis fletus componebant antiqui vel epigrammata consecrationum, sicut Horatius docet de arte poetica, sic:*

Versibus impariter iunctis querimonia prima (Horat. codd. *primum*),
post etiam inclusa est voti sententia compos.

Quippe manifestum est, hic ex illis apud Draconem verbis haec tantum esse expressa: *et hoc metro mortuis fletus componebant antiqui vel epigrammata consecrationum*, antecedentia ex eo grammatico, unde illa sunt in Draconis librum translata. Quorsum haec? Si nihil aliud in omni libro Draconis esset, haec genuina putarem: Τὸ ἐλεγεῖον μέτρον παρωνόμασται ἀπὸ τοῦ ἐλέγου, ὃ σημαίνει παρ᾽ Ἀττικοῖς τὸν θρῆνον. Continent enim sen-

tentiam nusquam praeterea, si bene memini, obviam apud grammaticos, sed meliorem et antiquiorem Horatiana de elegia principio lugubri, Horatio illa, ut supra vidimus, cum Didymo aliisque praeter Draconem omnibus communi, ἔλεγον non apud Graecos omnino, neque apud aequales inventoris elegiae, sed apud Atticos demum, significasse lugubre carmen.

Eandem omnium sententiam grammaticorum fuisse necesse est, qui vel Callinum vel Archilochum inventorem tradidere. Qui nisi intellexissent, originem nominis ἔλεγος et lugubrium elegorum esse ab ipsius elegiae origine distinguendam, ac metro elegiaco carmina varii argumenti diu condita, priusquam de nomine ἔλεγος et funebri elegorum usu quisquam cogitaret: haud sane potuissent poetas, qui lugubres elegias non composuerant, elegiaci carminis inventores habere.

Qui factum igitur, ut Horatius, doctissimus poeta, nihilo minus originem pentametri elegiaci ab origine nominis ἔλεγος et elegorum lugubrium non discerneret, iamque ante Callinum et Archilochum putaret elegiam fuisse lugubrem? Quod equidem non valde mirarer, quoniam ab Atticorum inde tempore etiam antiquiora carmina, quae distichis constabant, ἐλεγεῖα nominabantur, nisi ante Horatium Alexandrini rectius hac de re iudicassent, Horatium autem Alexandrinorum iudicia, quae huc pertinent, ob oculos habuisse constaret. Quid ergo? Dicta grammaticorum illi Draconis loco similia Horatii tempore sine dubio permulta exstabant. Verum quos Draco explicatius dicit Ἀττικούς, eosdem alii generatim τοὺς παλαιοὺς vocare, aut simili vaga et ambigua mentione significare poterant. Quod si fecerunt, vix fieri potuit, quin grammatici minus docti τούς παλαιοὺς non de Atticis, ut debebant, sed de aequalibus inventoris elegiae acciperent, ideoque elegiam initio lugubrem fuisse putarent, quum esset tantummodo lugu-

bris initio nominis sui, hoc est Atticorum aetate. Ac fuit sane ambigua haec loquendi ratio in hac ipsa sententia de lugubri elegia satis vulgaris apud grammaticos, etsi locus Horatio antiquior, ubi in vera sententia de funebri elegia primum ab Atticis usurpata Attici generatim *οἱ παλαιοὶ* appellentur, adhuc desideratur. Nempe eorum, qui elegiam initio lugubrem fuisse arbitrantur, plerique hanc suam ita proponunt sententiam, ut ipsa ambigua loquendi ratio originem erroris ex male intellectis antiquissimorum locis grammaticorum, qui veram sententiam ambigue expresserint, aperte prodat. Rem attigisse satis habeo, quum plura loca, in quibus ambiguum hunc usum loquendi sua sponte quisque animadvertet, iam sint ante allata.

Et haec mihi quidem sufficere viderentur ad refutandam Horatii opinionem de elegia initio lugubri, quam unam obstare docui, quo minus aut Callinus aut Archilochus elegiae inventor debeat necessario haberi, nisi ulterius etiam progredi liceret. Quid enim? Nullusne est inter omnes Atticorum poetas elegiacos, cuius lugubres fuerint elegi, et potuerint inveniendo nomini *ἔλεγος* occasionem dare? Haec quaestio ad Simonidem ducit Leoprepidem, et ad Boettigeri sententiam, proditam in Att. Mus. Vol. I. Fasc. 2. p. 338. seqq. Ubi plura attulit vir doctissimus, quam quae simul possint omnia explorari. Dividenda igitur sententia, in qua ille non docuit, sensit tamen, Simonidis demum Leoprepidae lugubres elegias fuisse, et primum *ἐλέγους* appellatas.

Ac primum Boettiger nomen *ἐλεγεῖον* Simonidis demum tempore censet dici coepisse de pentametro, seu potius distichis, ab hoc poeta ad threnos, nenias (quasi vero hae apud Horatium aliae essent, quam Simonidis threni!) et epigrammata relatum. Quod enim Plutarchus et alii hoc nomine de carminibus ad tibiam cantatis (sic vocat carmina elegiaca, quae tamen nec sola

constat, nec semper in Appendice patebit ad tibiam esse cantata) longe antiquioribus usi sunt, hoc nihil valere ad originem nominis constituendam. Inscriptionem autem tripodis, ab Echembroto auloedo Apollini ante Simonidem consecrati, apud Pausaniam X, 7. p. 814, ubi ἐλεγεῖα et ἔλεγοι occurrunt, non modo suspectam esse, ut omnino antiqua illa tripodum epigrammata, sed vel propterea aperte spuriam, quod scripta sit oratione soluta. Recte hoc postremum. Ostendit igitur Boettiger, si ab Horatiana illa sententia de elegia principio lugubri discesseris, de qua nihil attinet afferre indicium eius, nihil cogere, ut originem nominis ἐλεγεῖον ante Simonidis tempora ponamus. An vero inde consequitur, eandem in ipsa Simonidis aetate collocandam, ad eiusque threnos et epigrammata referendam esse? Neque omnino Boettiger loqui debebat de origine nominis ἐλεγεῖον, priusquam constaret de origine nominis ἔλεγος, illo antiquioris. Atqui si huius quoque originem ad Simonidem referas, epigrammata, quae nusquam ἔλεγοι vocantur, aliorsum pertinent, et ad threnos redeunt omnia. Hoc vero fecisse Boettigerum, ac nomina ἔλεγος et ἐλεγεῖον promiscue usurpasse, reliqua pars declarat sententiae eius, de qua mox exponam. Nimirum utrumque nomen, si mentem eius recte percepi, simul inventum, eoque, quod sepulcralia epigrammata distichis a Simonide componi solebant, potissimum occasionem datam esse putavit ad nomina illa huic metro assignanda. Quid multa? Non intellexit vir ceteroquin acutus et perspicax, nomen ἔλεγος non esse adiectivum, quod substantivi munere fungatur, ut ἐλεγεία et ἐλεγεῖον, quibus masculina etiam forma ἐλεγεῖος ex Eustathii loco prius emendato p. 1673. l. 49. addi potest (feminina apud Strabonem VIII. p. 362 [556], neutra saepissime est adiectiva, notante quaedam exempla Schaefero in Ind. Graec. ad Gregor. Cor. h. v.),

sed nomen primitivum, nomina autem ἐλεγεία et ἐλεγεῖον ab hoc ipso primitivo nomine derivanda, neque omnino ad lugubre argumentum, ut ἔλεγος, sed unice ad metrum referenda esse, quod carmina istis appellata nominibus haberent commune cum lugubribus, quae primum ἔλεγοι dicerentur.

Erant iam apud veteres, quos fugeret haec nominum illorum coniunctio et discrimen. Schol. Platon. collect. Ruhnken. p. 150: Ἐλεγεῖα, ᾠδαί, θρῆνοι ἢ μῦθοι. ἔνθεν καὶ τὰ ἐπιτάφια ποιήματα ἐλεγεῖα καλοῦνται. Lege: Ἐλεγεῖαι (ᾠδαί) ἢ ἔλεγοι (μῦθοι), θρῆνοι. ἔνθεν καὶ etc. Hesychius: Ἐλεγεῖαι (sic scriptum), εὐμελίαι. Idem alibi: Ἔλεγοι, μῦθοι, ᾠδαί, θρῆνοι. ἔνθεν καὶ ἐλεγεῖα τὰ ἐπιτάφια ποιήματα. Bina haec loca iungenda, et sic emendanda: Ἐλεγεῖαι (ᾠδαί, εὐμελίαι) ἢ ἔλεγοι (μῦθοι), θρῆνοι. ἔνθεν καὶ etc. Apparet, Hesychium descripsisse scholium istud Platonicum, addito tantum in margine (marginale supplementum transpositio prodit) εὐμελίαι: quae quidem ellipsis longius est petita, quam quae ferri possit; aut etiam eundem, quem Platonis interpres, alius nescio cuius grammatici locum ob oculos habuisse. Duplicem vero auctor huiusce sententiae commisit errorem, alterum, quod ad nomen ἔλεγος, nunquam illud, ut supra vidimus, adiectivi instar usurpatum, non dico ineptam istam, sed ullam omnino ellipsin admisit, quasi nomen proprie adiectivum esset formatione tantum, quam vocant grammatici, diversum ab ἐλεγεῖος; alterum eumque cum priori arctissime coniunctum, quod ἐλεγείαν non minus, quam ἔλεγον, per θρῆνον est interpretatus, itemque sepulcralia epigrammata, quae ἐπιτάφια ποιήματα dicit, propter similitudinem argumenti cum carminibus, quae illis nominibus appellentur, ἐλεγεῖα dici voluit. Similiter Etym. M. Ἐλεγεία, inquit, καὶ ἀρσενικῶς ἔλεγος, ἢ κατὰ τὸ μέτρον, ὅτι ἐπιλέγεται τῷ ἑξαμέτρῳ τὸ πεντάμετρον, ἢ παρὰ τὸν ἔλεον etc. Sic locus

D 2

restituendus, qui vulgo ita se habet: Ἐλεγεῖα, τὸ μέτρον· καὶ ἀρσενικῶς ἔλεγος· ἢ ὅτι ἐπιλέγεται etc. Debebat sic fere incipere: Ἔλεγος, ὅθεν ἐλεγεία, iamque ea, quae de etymologia dicere vellet, ad illud tantummodo, non etiam ad hoc nomen referre, quod nonnisi ad metrum pertinet, ut ἐλεγεῖον, de quo nomine pluribus paullo post exponam. Atque eiusdem erroris iam ante in Ovidio demonstravi vestigium. Ceterum sepulcralia epigrammata si lugubris argumenti caussa, ut diserte affirmat antiquus ille Platonis interpres, ἐλεγεῖα vocari coepta essent, vel sic tamen ultra, quam par erat, processisse essent putandi, qui sepulcralia ea quoque epigrammata, quae carebant pentametro, ἐλεγεῖα nominabant; id quod factum est a Dione demum Chrysostomo Orat. IV. de Regno p. 185. seq. ed. Reisk. a Pseudoherodoto in Vita Homeri cap. 36. et hinc a Suida v. Ὅμηρος, de quorum usu loquendi rectius, quam Casaubonus in Commentar. ad Persii Sat. I, 51. et Reiskius ad locum Dionis, Bentleius iudicavit in Resp. ad Boyleum p. 431. ed. Lips. Memoriae vitium est, quum Schneiderus affirmat in Lexico Gr., iam a Demosthene Orat. in Neaeram p. 1378. l. 13. hexametros ἐλεγεῖα vocari. Dicere voluit, unum distichum plurali numero vocari ἐλεγεῖα; addere debebat, propter hanc ipsam ineptam rationem loquendi glossema habendum atque delendum esse τὰ ἐλεγεῖα, et ἀπὸ κοινοῦ ad ἐκκόψαντας assumendum τὰ ἐπιγεγραμμένα. Seriores illi scriptores eam haud dubie sequuntur normam loquendi, quam his verbis Io. Tzetzes memoriae prodidit in Schol. ad Exeg. in Iliad. p. 150. seq. ἐλεγειογράφοι . . . τὰ ἐν τάφοις γράφοντες . . . γράμματα, κἂν ὦσι μέτρῳ ἑτε . . . ἐπιγραμματοποιοὶ οἱ τὰ ἐν . . . καὶ ἀναθήματα καὶ ἀνδρία . . . ἐπιγράφοντες ἐπιγραμμ . . . Quem locum lacunis misere deformatum non dubito ita fere explere: ἐλεγειογράφοι δὲ οἱ τὰ ἐν τάφοις γράφοντες ἐπιγράμματα, κἂν ὦσι μέτρῳ ἑτέρῳ κεχρημένοι· ἐπιγραμματοποιοὶ

οἱ τὰ ἐν ναοῖς ἀγάλματα καὶ ἀναθήματα καὶ ἀνδριάντας ἐπιγράφοντες ἐπιγράμμασιν. In simili de ἐπιγραμματογράφοις sententia etiam Isaacius frater in Proleg. ad Lycophron. p. 258. ed. Müller. cum τοῖς εἰς ἀνδριάντας γεγραμμένοις ἐπιγράμμασιν ea coniunxit, quae scripta sint εἰς τὰ ἐν ναοῖς ἀναθήματα καὶ εἰς ἕτερα τοιαῦτά τινα. Ceterum usitatior haec foret constructio: οἱ εἰς τὰ ἐν ναοῖς ἀγάλματα — ἐπιγράφοντες ἐπιγράμματα: sed satius visum est insistere litterarum vestigiis, praesertim quum altera iunctura defendi ex Tibullo possit I, 3, 54:

fac lapis his scriptus stet super ossa notis:

quaeque ibi attulit Wunderlichius, quo duce praecipuo Vossium correxit Bachius Epist. ad Eichstad. p. 19, reprehensum illum breviter etiam ab Huschkio, viro egregio, ad Tib. Eleg. tres p. 43. Longe alia est antiquiorum consuetudo loquendi, qui quidem non tantum sepulcralia, sed alia quoque epigrammata ἐλεγεῖα dicebant, ut Thucydides I, 132, neque etiam sepulcralia omnia epigrammata, sed ea tantum, quae alternis hexametris et pentametris constabant.

Nec vero seriores illi scriptores in istos errores ullo modo potuissent incidere, si veram rationem nominis ἐλεγεῖον habuissent perspectam. Nimirum ἐλεγεῖον, ubi substantivi loco usurpatur, non modo potest distichum significare, quod iam pridem ab H. Stephano est observatum in fine editionis Graecorum Epigrammatum, iterum in Thes. L. Gr. T. I. p. 1067. F. sed semper distichum est. Dicitur autem sine ulla ellipsi, quamvis e Platonis Menone p. 95. D. *ΜΕ.* Ἐν ποίοις ἔπεσιν; *ΣΩΚ.* Ἐν τοῖς ἐλεγείοις, non sine specie veritatis colligas, ad ἐλεγεῖον supplendum esse ἔπος: quae ratio, si tamen ullus foret ellipsi locus, omnino probabilior esset, quam Schneideri opinio, in Lexico Gr. nominis ᾆσμα statuentis ellipsin; quanquam vel sic optimum videretur, δίστιχον subaudire, et provocare ad Aelian. Var. Hist. I, 17:

καὶ ἐν σησάμῳ δίστιχον ἐλεγεῖον χρυσοῖς γράμμασιν ἐπέγραψαν. Opponas licet, ipsum G. Hermannum, severum illum falsarum ellipsium censorem, ad vocabulum ἐμβατήριον concedere μέλος omitti, primum in Wolfii et Buttmanni Museo Antiq. Stud. Lat. Vol. I. Fasc. 1. p. 107, iterum in Append. ad Viger. p. 871. Ita est. Sed scito, aliud esse ἐμβατήριον, aliud ἐλεγεῖον. Ad ἐμβατήριον Hermannus ellipsin admittit, quia, ut ipse ait, hoc cognito nondum constat, quae res ita describatur. At hoc de vocabulo ἐλεγεῖον satis constat vel sine supplemento. Est enim τὸ ἐλεγεῖον nihil aliud, quam quidquid elegiacum est, sive hexametro et pentametro constat, hoc est distichum. Conferas velim Hermannum priori loco p. 108. Quod igitur ἐλεγεῖα, ut mox docebo, plurali numero tam de uno vel epigrammate vel alio carmine elegiaco, quam de pluribus occurrunt, ut etiam ἰαμβεῖα de uno carmine iambico usurpata reperiuntur, haec non est enallage numeri, sed proprius ac legitimus vocabuli usus, quandoquidem, si ἐλεγεῖον distichum est, ultro intelligitur, ἐλεγεῖα plurali numero esse disticha, sive uno sive pluribus comprehensa carminibus, ut ἰαμβεῖα sunt iambici versus, sive unius carminis, sive plurium. Quam loquendi rationem vel seriores illi scriptores, qui sepulcralia epigrammata, e solis licet hexametris composita, tamen ἐλεγεῖα dicebant, hactenus servarunt, ut binos tantum, non plures hexametros singulari numero ἐλεγεῖον vocarent. Quanquam isti si reputassent, qui fiat, ut ἐλεγεῖον distichum sit, ἐλεγεῖα omnino disticha, abstinuissent, credo, a perversa hac ratione loquendi, et intellexissent, nomen ἐλεγεῖον minime ad lugubre argumentum, sed unice ad metrum spectare.

Haec pluribus tueri nihil opus esset, nisi loca exstarent, quae aut repugnare his iniuria putarentur, aut re vera repugnarent, ac propter hoc ipsum corrigi deberent. Alterius generis locus est incerti scriptoris de

Vita Aeschyli, intellectus ut vulgo, ita nuper etiam a Conr. Schneidero in Stud. Heidelb. Vol. IV. p. 42, de longiori nescio quo carmine, quo Aeschylum Simonides vicerit in certamine elegiarum de iis, qui Marathone ceciderant. Verba sunt: *κατά τινας μέν, ὡς ὑπὸ Ἀθηναίων κατασπουδασθεὶς καὶ ἡσσηθεὶς νέῳ ὄντι τῷ Σοφοκλεῖ· κατὰ δὲ ἐνίους ἐν τῷ εἰς τοὺς ἐν Μαραθῶνι τεθνηκότας ἐλεγείῳ ἡσσηθεὶς Σιμωνίδῃ· τὸ γὰρ ἐλεγεῖον πολὺ τῆς περὶ τὸ συμπαθὲς λεπτότητος μετέχειν θέλει, ὃ τοῦ Αἰσχύλου, ὡς ἔφαμεν, ἐστὶν ἀλλότριον.* Sermo est de uno disticho, quale celeberrimum illud eiusdem Simonidis est in Spartanos ad Thermopylas occisos, cuius ipsa brevitas in summa laude merito ponitur; ut vel ex ipsa huius loci vera interpretatione redargui possint, qui Aeschyleae et Simonideae elegiarum, quas putabant, fragmenta sibi reperisse visi sunt, aliunde illi a Iacobsio refutati in Animadv. ad Anthol. Gr. Vol. I. Part. I. p. 275. Non dissimili errore summus Ruhnkenius Epist. Crit. II. p. 284. eumque sectatus Ilgenus, vir clarissimus, Opusc. p. 256. et 260. verba Pausaniae VII, 18. p. 567: *ἐλεγεῖον εἰς Εὐρυτίωνα Κένταυρον*, non de disticho in Eurytionem Centaurum, ut debebant, hoc est, ni fallor, in statuam eius, sed de elegia uterque, de elegia ad illum scripta certe Ruhnkenius accepit. Alterius generis Plutarchi locum habemus in Vita Homeri p. 147. ed. Ernest. *Εἰσὶ δὲ οἳ καὶ Κολοφώνιον αὐτὸν ἀποδείκνυνται, μεγίστῳ τεκμηρίῳ χρώμενοι πρὸς ἀπόδειξιν, τῷ ἐπὶ τοῦ ἀνδριάντος ἐπιγεγραμμένῳ ἐλεγείῳ. ἔχει δὲ οὕτως·*

Υἱὲ Μέλητος, Ὅμηρε, σὺ γὰρ κλέος Ἑλλάδι πάσῃ
καὶ Κολοφῶνι πάτρῃ θῆκας ἐς ἀΐδιον,
κλειτὰς δ' ἀντιθέῳ ψυχῇ γεννήσαο κούρας,
δισσὰς ἡμιθέων γραψάμενος σελίδας.
Ὑμνεῖ δ' ἡ μὲν νόστον Ὀδυσσῆος πολύπλαγκτον,
ἡ δὲ τὸν Ἰλιακὸν Δαρδανιδῶν πόλεμον.

Apud Ernestium in fine v. 2. plena est interpunctio, mu-

tata iam Brunckio, qui in Analectis hoc epigramma habet inter ἀδέσποτα nr. 491. Initio v. 3. κλειτὰς scripsi, quod erat in libris καὶ τάς. De v. 4. haec Heinrichius adiiciebat: *Apud Plutarchum legitur ἡμιθέων, cuius loco editum in Analectis ἐκ στηθέων, nescio unde. σελίδες ἡμιθέων sunt βίβλοι ἡρωϊκαί, de heroibus libri, nulla quidem cum ellipsi praepositionis, sed usu recto gignendi casus in utroque sermone; quo de usu multa dici possent et quorundam errores corrigi. Sed hoc alienum.* Iam si duo postrema disticha ipse Plutarchus attulit, ἐλεγεῖον singulari numero omnino de pluribus distichis usurpavit. At haec ab aliena manu suppleta videri debent; id quod etiam in Tyrtaei reliquiis apud eundem Plutarchum et alibi factum esse, suis locis est demonstratum in prooemio ad Tyrtaeum. Auctor primum distichum, ubi Homerus Colophonius fuisse dicitur, attulisse satis habuit. Desunt etiam nonnulla, ut γὰρ declarat, ab initio: unde cernitur, integrum epigramma Plutarchum apponere noluisse. Quum igitur in integra versuum serie punctum sustulerim post ἀΐδιον, idem tamen in Plutarcho, ubi reliqua delenda sunt et infra tantum notanda, est retinendum. Proinde ἐλεγεῖον legitima vi positum et distichum esse existimandum est. Progredior ad locum Strabonis XIV. p. 683 (1002): Ἤδη οὖν πάρεστι σκοπεῖν τὴν ῥαθυμίαν τοῦ ποιήσαντος τὸ ἐλεγεῖον τοῦτο, οὗ ἡ ἀρχή·

> Ἱρὰὶ τῷ Φοίβῳ, πολλὸν διὰ κῦμα θέουσαι
> ἤλθομεν αἱ ταχιναὶ τόξα φυγεῖν ἔλαφοι·

εἴθ' Ἡδύλος ἐστὶν εἴθ' ὁστισοῦν. φησὶ μὲν ὁρμηθῆναι τὰς ἐλάφους

> Κωρυκίης ἀπὸ δειράδος· ἐκ δὲ Κιλίσσης
> ἠϊόνος . . .

εἰς ἀκτὰς διανήξασθαι Κουριάδας, καὶ ἐπιφθέγγεται, etc. Scripsi locum ex Casauboni emendatione, ipseque posterius fragmentum revocavi ad numeros suos: qua de re

Iacobsium miror tacere in Catalogo Poet. Epigrammat. p. 900. Ἐλεγεῖον singulari numero tota Hedyli, quae ferebatur, dicitur elegia. Quod etiamsi per se ferri posset, vel sic tamen dicendum fuisset τὸ ἐλεγεῖον, τοῦ ἡ ἀρχή, omisso τοῦτο, aut etiam, quod idem est, τὸ ἐλεγεῖον τοῦτο, omisso οὗ ἡ ἀρχή. Quod posterius quum aperte sit exquisitius, apparet, delendum esse οὗ ἡ ἀρχὴ ut glossema ad τοῦτο. Restat perversus, de quo nunc agitur, usus nominis ἐλεγεῖον de pluribus distichis. Sed facile patet, τὸ ἐλεγεῖον aliud ad idem illud τοῦτο idque antiquius altero, sed falsum esse glossema. Scripsit Geographus: Ἤδη οὖν πάρεστι σκοπεῖν τὴν ῥαθυμίαν τοῦ ποιήσαντος τοῦτο·

Ἱραὶ τῷ Φοίβῳ, πολλὸν διὰ κῦμα θέουσαι
ἤλθομεν αἱ ταχιναὶ τόξα φυγεῖν ἔλαφοι·

et quae sequuntur. Hoc distichum indicis instar et integrae elegiae significandae est; quomodo, ne alios dicam, Pausanias IV, 16. p. 319: ἐπέλεγον ᾆσμα τὸ καὶ ἐς ἡμᾶς ἔτι ᾀδόμενον·

Ἔς τε μέσον πεδίον Στενυκλήριον ἔς τ' ὄρος ἄκρον
εἵπετ' Ἀριστομένης τοῖς Λακεδαιμονίοις.

Est etiam tertius locus, ubi de pluribus distichis ἐλεγεῖον occurrit. Nempe Pindari Scholiastes ad Olymp. XIII, 32. ex Theopompo: εἶναι δέ, inquit, καὶ νῦν ἀναγεγραμμένον ἐλεγεῖον, εἰσιόντι εἰς τὸν ναὸν ἀριστερᾶς χειρός. Sequuntur quatuor versus. Scripsit Theopompus: ἐστὶ δὲ καὶ νῦν ἀναγεγραμμένα ἐλεγεῖα, εἰσιόντι etc. Ita Diogenes Laertius I, 2, 2. unam Solonis elegiam de Salamine plurali numero vocat ἐλεγεῖα, et ibid. 3. de eiusdem Solonis elegia in Pisistrati tyrannidem ita loquitur: τὰ δὲ περὶ τῆς τοῦ Πεισιστράτου τυραννίδος ἐλεγεῖα, προλέγοντος αὐτοῦ, ταῦτα ἦν. Adde Philonem T. I. p. 25, qui aliam Solonis, quam putat, allaturus elegiam, quam spuriam et Solone indignam nunc quidem pronunciasse satis habeo: ἐλεγεῖα, inquit, ποιήσας τάδε. Minus proprie Pau-

sanias IV, 15. p. 315. tres versus elegiacos sive unum et dimidium *ἐλεγεῖον* nominat *ἐλεγεῖα*. Augere quivis poterit numerum exemplorum. Progrediamur ad quartum locum, qui ficti Phalaridis est. Et is quidem tenebrio quod lyricum carmen Epist. CXLIV. (XX.) init. *ἐλεγεῖον* vocat ob lugubre argumentum, hoc multo etiam ineptius est, quam si idem *ἐλεγεῖα*, aut melius etiam *ἔλεγον* appellasset: quanquam ne hoc quidem tolerabile posset videri, ut egregie declaravit Bentleius, cuius sententiam nova etiam argumentatione mox contra Boettigerum tueri conabor. Nescio tamen, an tale portentum ne a falso quidem exspectari Phalaride possit. Quid? si corrigas: *Ἐπεστείλαμεν Στησιχόρῳ, ὡς ἠξίους, περὶ τοῦ ἐπικηδείου*, etc. Quod etsi de carmine lugubri quidem, sed in funere non cantato, et ipsum parum accurate dicitur, at saltem non erit aeque insulsum.

Haec si probabiliter a nobis sunt disputata, certum iam est et exploratum, nomina *ἐλεγεία* et *ἐλεγεῖον*, sive hoc singulari ponatur sive plurali numero, ex legitima loquendi consuetudine unice ad metrum, non etiam, ut nomen primitivum *ἔλεγος*, ad carminum lugubre argumentum pertinere.

Neque etiam aut postulavit Aristoteles, ut appellatio *τῶν ἐλεγείων* lugubris argumenti significationem haberet, aut etiam, si postulasset, hinc de proprio et antiquissimo usu loquendi ulla nisi ad firmandam potius nostram sententiam, quam evertendam, valeret conclusio. Aristoteles de Arte Poet. I, 11: *πλὴν οἱ ἄνθρωποί γε, συνάπτοντες τῷ μέτρῳ τὸ ποιεῖν, τοὺς μὲν ἐλεγειοποιούς, τοὺς δὲ ἐποποιοὺς ὀνομάζουσιν, οὐχ ὡς κατὰ τὴν μίμησιν ποιητάς, ἀλλὰ κοινῇ κατὰ τὸ μέτρον προσαγορεύοντες.* Ita Hermannus, praeterquam quod primus, ni fallor, et contra codices *ἐλεγοποιοὺς* edidit. Quae forma, si defendi per se potest, certe ab hoc loco, ubi de *ἐλεγείοις* agitur,

non de ἐλέγοις, manifesto abhorret. Dicuntur autem ἐλεγειοποιοὶ ut ἐλεγειογράφοι et ἐλεγειοποιηταί: quibus de formis vide Schaeferum ad Dionys. Halic. de Compos. Verbor. XXV. p. 232 (389), ubi addas licet Tzetzen, priore nomine utentem loco ante allato, Proleg. ad Lycophron. p. 257. ed. Müller. et ibid. p. 249. Emendandam putat (quis neget?) philosophus vulgarem istam loquendi consuetudinem, sed improbat hactenus tantum, quatenus prorsus neglecta imitatione, in qua ipse poesis naturam ponebat, haec omnis referri ad metrum solebat, non ita, ut poematum, quae ceteroquin hoc nomine non sint indigna, divisionem ex metrorum diversitate factam reprehendat, dummodo ipsa poesis natura in imitatione quaeratur, et huc referatur totius poesis etiam metrica distributio. Nam quod paullo ante nomen ἐποποιΐα latiore vi usurpaverat, quam ferebat communis loquendi usus, hoc non fecerat ita, ut usum nominis ἔπη de hexametris etiam tum vituperaret, quum hac arctiore significatione ἐποποιοὶ non dicerentur omnino οἱ ἔπη, sed οἱ δι᾽ ἐπῶν τὴν μίμησιν ποιοῦντες. Sunt enim eodem modo ex mente philosophi ἐλεγειοποιοὶ (et hoc ipsum est, quod huc maxime pertinet,) οἱ δι᾽ ἐλεγείων, ut ipse ait, τὴν μίμησιν ποιοῦντες. Quid ergo? Nonne vel sic ἐλεγεῖα omnino disticha sunt, et metri, non lugubris argumenti, caussa hoc nomine appellantur? Alia quaestio est, sintne omnia ἐλεγεῖα poematum nomine digna; id quod iure negat Aristoteles. Indigna sunt, quae nil praeter metrum habent poeticum. Sin quis Aristotelem nulla non carmina elegiaca, exceptis pauculis, quae sunt querula et lugubria, in hunc numerum retulisse sibi persuadeat, quasi nullum nisi funebre argumentum distichis inclusum esse possit poeticum: is reputet velim, istius sententiae nullum ne levissimum quidem in ipsis philosophi verbis esse vestigium, adeoque tale iudicium vel ex iis grammaticis,

qui metrum elegiacum lugubri magis, quam aliis argumentis convenire credebant, nemini unquam in mentem venisse. Aristotelis longe aliam fuisse sententiam, ipsum etiam magni huius philosophi sponsorem habemus ingenium, praesertim quum illa grammaticorum opinio, quae sola, si istis tale quid excidisset, his nugis excusationem quodammodo praebere videretur, ab Aristotelis aetate sit alienissima, atque ex Alexandrinorum denique dictis male intellectis enata. Adde quod ipsum Aristotelem carmina elegiaca non funebria fecisse constat. An forte credibile est, haec sua ipsius ἐλεγεῖα e poematum numero eximi voluisse philosophum? Immo qui bene norit Aristotelem eiusque iudicium de didascalica poesi, nullus dubitabit, quin gnomicas potius excludi voluerit elegias. Fac tamen, Aristotelem carmina elegiaca non lugubria poematum aut etiam ἐλεγείων appellatione censuisse indigna, et falsam esse interpretationem nostram. Nonne satis est e manifesto ipsius testimonio intellexisse, carmina, quae distichis constarent, iam tum propter hoc unum esse ἐλεγεῖα vocari consueta? Nonne, quod ex coniunctione et discrimine nominum ἔλεγος, ἐλεγεία et ἐλεγεῖον, ex ipsaque natura et indole nominis ἐλεγεῖον supra a nobis patefacta cognovimus, propriam hanc esse ideoque etiam antiquissimam rationem loquendi, idem hoc ipso Aristotelis dicto vel maxime confirmatur? Nempe si alia fuisset antiquissima consuetudo loquendi, haec vix potuisset ignota esse doctissimo philosophorum, eique renovanda fuisset et restituenda. Quod si quis eo ab Aristotele factum dicat, quod postulaverit, ut appellatio τῶν ἐλεγείων lugubris argumenti potius, quam metri, significationem adsisceret, hoc etiamsi iuberet philosophus, nihilo minus ille vehementer erraret. Quid enim? Aliud est instaurare veterem loquendi usum, aliud, novum inducere. Ceterum ex his inanes de hoc Aristotelis, quas passim

reperias, disputationes, praecipue lepida commenta Gallicorum hominum, dilui facillime poterunt.

Quae quum ita sint, falsum esse apparet, sive coniunctionem et discrimen nominum ἔλεγος, ἐλεγεία et ἐλεγεῖον ipsamque vocabuli ἐλεγεῖον naturam et indolem spectes, sive Aristotelem consulas, falsum igitur esse, quod Boettiger arbitratur, ἐλεγεῖον simul inventum esse cum ἔλεγος, et sepulcralia Simonidis epigrammata, quibus primum nomen τοῖς ἐλεγείοις lugubris argumenti caussa sit impertitum, occasionem dedisse ad omnia haec nomina metro assignanda, quo scripserit Simonides epigrammata ista. Intelligitur contra, ἔλεγος esse antiquius, ἐλεγεῖον autem vel per se nonnisi ad metrum spectare, ne multa, ἐλεγεῖα ea ipsa esse vel epigrammata vel alia carmina cuiusvis argumenti, quae cum ἐλέγοις commune habeant metrum. Quare ad hanc quaestionem redeunt omnia, feceritne Simonides praeter sepulcralia epigrammata, quae aliorsum pertinent, et alia lugubria carmina, quae distichis constarent, et primum ἔλεγοι dici possent. Ita perventum est ad alteram partem sententiae Boettigeranae. Videndum enim, quemadmodum vir praestantissimus sit in hac quaestione versatus.

Boettiger, si verum dicimus, quum solvere non posset, effugere conatus est quaestionem istam, et ita quidem, ut diceret, Simonidem, licet in threnodiis hexametro et pentametro potissimum usus esse videatur (sumit enim hoc, quod unum omnium comprobandum erat), non minus tamen lyricos anapaestos et melica cuiuscunque generis querula carmina elegias (sic loquitur) nominasse videri; neque iniuria fortasse sophistam, qui Phalarideas scripserit Epistolas, lyricum quoddam Stesichori lugubre carmen elegiam vocasse, quidquid paullo acerbius dicat Bentleius in Resp. ad Boyleum p. 430. ed. Lips. Nomen ἔλεγος enim omnino querulum (immo lugubre) carmen significare, etiam alio, quam quod

distichis constet, metro compositum, idque e compluribus veterum locis esse notum. Error scriptoris, qui Phalaridis nomen mentitus est, si tamen ipsi potius, quam librariis est imputandus, aliorsum pertinet; is enim, si sana lectio, carmen istud non ἔλεγον vocat, sed ἐλεγεῖον. De re ipsa Boettiger ad eundem, de quo Bentleius disputaverat, Aristophanis locum, ubi luscinia ἐλέγους canere dicitur, Av. v. 217, atque ad alia eiusdem generis provocat. At enim avibus et Nymphis cuiusvis metri carmina tribui possunt: hinc vero minime potest de proprio usu loquendi fieri iusta conclusio. Quod si uberius post Bentleium persequi vellem, actum agerem. Sin quis hoc urgeat, quod haec Aristophanis: τοῖς σοῖς ἐλέγοις ἀντιψάλλων, respondent antecedentibus v. 213: ἐλελιζομένη διεροῖς μέλεσιν, et inde nihilo secius cogat, etiam μέλη posse ἐλέγους appellari: sciat, διερὰ μέλη non esse liquida carmina, sed liquidos modulos: quod recte dici, vel Persianum illud confirmat Sat. I, 34:

plorabile si quid
eliquat, etc.

Similem Lucretii locum Köppenius attulit in Anthol. Gr. T. III. p. 37, et rectius, quam Scholiastes, epitheton διεροῖς explicavit. Nunc illud maxime tenendum est, μέλη hoc loco non esse elegos, sed modulos, quibus elegos cantat luscinia. Praeterea Boettiger Apollonii locum II, 782. commemorat, ubi Lycus, Mariandynorum rex, Priolaum fratrem, a Mysis interfectum, adhuc a populo narrat οἰκτίστοις ἐλέγοισιν ὀδύρεσθαι. Non poterant elegi (quis neget?), si hoc genus sine distichis cogitari nequit, in Mariandynorum ore versari Argonautarum tempore. Sed amabo, quid aliud hoc est, quam usitatissima prolepsis sive anticipatio? Restat Euripidis versus Troad. 119, quem e Musgravii et Tyrwhitti emendationibus vere Seidlerus ita restituit:

ἐπιοῦσ᾽ αἰεὶ δακρύων ἐλέγους.

Hecuba loquitur, semperque se, si vera est Boettigeri interpretatio, adire ait, hoc est incipere elegos. Atqui in anapaestis lamentatur et eiulat. Nonne igitur manifestum est, ἐλέγους esse universe querula et lugubria carmina? Haud contemnenda sane haec argumentatio, modo interpretatio certa, et ulla omnino in Hecubae querelis carminum initia essent. Verum enimvero ἐπιέναι ἐλέγους de conatu est accipiendum, et exponendum *incipere velle elegos.* Optat Hecuba, ut per mentis agitationem liceat sibi querelas elegis temperare, ac molliore cantu lenire dolores, semperque se dicit in eo esse, ut canat elegos, sicut in alio Euripidis loco, Androm. v. 103. seqq. miseriam suam per elegiam re vera deplorat Andromacha: sed impetu et vehementia prohibetur doloris. Eodem ducunt sequentia:

Μοῦσα δέ γ' αὕτη τοῖς δυστήνοις
ἄτας κελαδεῖν ἀχορεύτους.

ubi iure recepta Hermanni correctio δέ γ' pro δέ χ'. Quid enim? Nonne fatua esset sententia, si nihil aliud Hecuba quam querula carmina ad querulum cantum idonea esse diceret? Ne dubites igitur, quin ad ipsum metrum elegiacum hic omnia redeant: quod quum in querulo carmine usurpatur, lene quiddam habet ac placidum, ideoque ad compescendam doloris nimiam vehementiam prae ceteris aptum est. Ista vero, quae nostra interpretatione efficitur, sententia certe melior altera est, et satis Euripidea; quod quid sit, non erit obscurum iis, qui huius tragici non tantum virtutes norint, sed etiam vitia.

Quodsi apparet, nil nisi Boettigeri coniecturam esse, quod putat, Simonidem, ex sua opinione, inventorem lugubris elegiae, melica quoque carmina ἐλέγους nuncupasse: iam, age, videamus, sitne per se aut necessaria aut etiam probabilis haec coniectura. Ac primum quidem necessaria non est. Ecquid est enim, obsecro,

quod impediat, quo minus certum quoddam lugubre carmen distichis compositum primum ἔλεγον, mox alia eiusdem argumenti carmina itidem alternis hexametris et pentametris conscripta eodem nomine, tandem cuncta carmina eodem hoc metro condita, querula et laeta, antiqua et nova, ob ipsam credas metri cognationem cum ἐλέγοις, nominibus ab ἔλεγος derivatis ἐλεγείας et ἐλεγεῖα esse appellata? Deinde ne probabilis quidem est Boettigeri coniectura. Nam quum lugubria carmina, quae distichis constarent, quaeque differrent a sepulcralibus epigrammatis, non tot pangerentur a Graecis, quot lyrica eiusdem argumenti carmina: qui tandem usu venire potuisset, si initio quaevis funebria carmina, etiam lyrica, communi essent elegorum nomine comprehensa, ut disticha potius a metri cognatione cum ἐλέγοις, quam lyrici versus ἐλεγεῖα nominarentur?

Sensit Boettiger hanc difficultatem, et hic sepulcralia epigrammata in auxilium vocavit, quae non a metri cognatione cum ἐλέγοις, sed et ipsa lugubris argumenti caussa ἐλεγεῖα vocari credidit: male, ut supra docui. Quid plura? Quocunque te vertas, fatendum erit, ante omnia Boettigero comprobandum fuisse, scripsisse Simonidem non modo praeter sepulcralia epigrammata, verum etiam praeter melica carmina lugubris argumenti (in utroque autem genere Simonidem Graecorum omnium facile principem fuisse compertum est,) alia quoque lugubria carmina, eaque alternis composita hexametris et pentametris, sive, quod idem est, eiusmodi, quae ἔλεγοι primum dici potuerint.

Iam, quaeso, memineris, hoc unum docuisse Boettigerum, nihil cogere, si ab ipsa Horatiana sententia de elegia initio lugubri discesseris, ut originem nominis ἔλεγος ante Simonidis tempora ponas. Quodsi viro egregio ideirco credibile visum est, Simonidem in threnodiis metro elegiaco usum esse, quod praecipuam eius in

commovenda miseratione virtutem fuisse constat, eundemque omnino metrum elegiacum usurpasse demonstrant epigrammata eius; si porro cognitum habuit, a poetis elegiacis, Simonide antiquioribus, quorum ad nos pervenit notitia, minus, quam a Simonide, posse lugubres elegos exspectari, nedum ullam esse apud antiquos carminum, quae primum ἔλεγοι dici potuerint, ante Simonidem mentionem iniectam: vix sane fieri potuit, quin Simonidis θρήνους magnam partem distichis fuisse compositos, et hos primum ἐλέγους nominatos suspicaretur. Sed nemo non videt, quam levissima istiusmodi sit suspicio, si docere nequeas, partim re vera Simonidem scripsisse carmina, quae primum ἔλεγοι appellari possent, partim originem nominis ἔλεγος esse in ipsa Simonidis aetate necessario collocandam. Neutrum Boettiger ostendere potuit, et tamen sensit, suam coniecturam alia quacunque esse verisimiliorem. Accessit error, quo lyrica quoque Simonidis carmina funebria elegias dici, ac propter eiusdem sepulcralia epigrammata nomen ad omne metri genus, de quo post Simonidem ubique occurrat, transferri potuisse credebat. Nolo hic memorare Conr. Schneiderum, qui quum sola adeo sepulcralia epigrammata ad explicandam nominis elegiae originem sufficere opinaretur, anceps esse contendit in Stud. Heidelb. Vol. IV. p. 47, utrum Simonidis an Sapphus sepulcralia epigrammata ἐλεγεῖα primum sint nominata. Tale quid Boettigero ne in mentem quidem venire potuit. Sed nihil omnino aut epigrammata aut melica carmina ad originem nominum ἔλεγος, ἐλεγεία et ἐλεγεῖον facere potuisse, a nobis, ut spero, abunde est demonstratum. Quid ergo? An reiicienda Boettigeri coniectura? Cave credas. Amplectenda potius sine dubio, sed certis rationibus et critica cum severitate argumentationis confirmanda. Quod equidem pro facultate mea sic facere instituam, ut primum carmina, in quae

cadat proprius et princeps usus nominis ἔλεγος, a Simonide scripta esse ostendam, deinde doceam, in ipso Simonidis tempore originem nominis ἔλεγος necessario esse ponendam.

Iam primum quod ad Simonidis carmina attinet lugubria et distichis composita, diversa autem ab epigrammatis, ne multa ad Simonidis ἐλέγους, de his prorsus destituti sumus veterum testimoniis. Nam quod Conr. Schneiderus ibid. p. 42. Simonidis elegiam deperditam in pugnam navalem ad Artemisium, quam Schol. ad Aristoph. Vesp. v. 1402. a Suida descriptus et Priscianus p. 1328. commemorant, θρῆνον fuisse pronunciat, hoc non solum comprobari nequit, sed pugnat etiam cum veterum ratione, qua pro patria mortuos non deplorare, sed felices praedicare, atque vel epigrammatis vel encomiis celebrare solebant. Neque omnino composita erat haec elegia in eos, qui in pugna perierant, sed in ipsam pugnam. Erat igitur nihil aliud, quam ἐπινίκιον ἐλεγειακόν, quo nomine Athenaeus IV. p. 144. E. Callimachi elegiam vocat scriptam in Sosibii victoriam, et hactenus similis elegiae Propertianae in pugnam Actiacam, IV, 6. Eodem modo iudicandum de Mimnermi ἐλεγείοις ἐς τὴν μάχην τὴν Σμυρναίων πρὸς Γύγην τε καὶ Λυδοὺς (ex Kuhnii emend. pro Λυδόν), quorum mentio fit apud Pausaniam IX, 29. p. 766: quanquam eo Mimnermus discrepabat a Simonide, Callimacho et Propertio, quod proelium celebrabat diu ante se commissum. Sed de hoc carmine plura dici possunt, quae aliorsum pertinent. Non secus, quam de Simonidis elegia in pugnam ad Artemisium, ibidem Schneiderus de eiusdem ἐλεγείῳ in eos iudicat, qui in pugna ad Marathonem necati fuerant: quod iudicium supra refutavi, et ἐλεγεῖον nihil aliud quam distichum esse docui.

Quodsi desunt veterum testimonia, quibus effici queat, Simonidem auctorem fuisse lugubrium elego-

rum, quaerenda sunt huius rei in ipsis poetae reliquiis documenta. Aliud autem egit Conr. Schneiderus l. l. p. 41, ubi huc traxit fragmentum gnomicae elegiae de caduca hominum sorte, quod habetur inter Simonidis Epigrammata n. CIV. Eodem iure e Mimnermi querelis de iuventutis brevitate colligere poterat, Mimnermum scripsisse lugubres elegos. Sed bina fragmenta funebris elegiae in mortem Timarchi cuiusdam iuvenis inter Simonidis Epigrammata iacent abscondita. Unum, quod ipsum carminis initium est, in Brunckii Analectis inter Epigrammata sic legitur n. CI:

Αἶ αἶ, νοῦσε βαρεῖα, τί δὴ ψυχαῖσι μεγαίρεις
ἀνθρώπων ἐρατᾷ πὰρ νεότητι μένειν;
ἦ καὶ Τίμαρχον γλυκερῆς αἰῶνος ἄμερσας
ἠΐθεον, πρὶν ἰδεῖν κουριδίην ἄλοχον.

Nimirum facile patet, hoc non epigramma, sed lugubris esse elegiae particulam, siquidem monuisse sat est, exclamationem *αἶ αἶ*, tamque effusam omnino querimoniam, quum elegiae optime conveniat, tum vero in versibus lapidi insculptis (erant autem Simonidis epigrammata re vera adhuc lapidibus incisa) esse ridiculam, sententiam autem his versibus inesse non truncatam quidem et quae utique per se intelligi nequeat, sed mancam tamen et imperfectam, quaeque integrum epigramma efficere minime possit. Vereor equidem, ut omnium assensum sim impetraturus, si dicam, eiusmodi esse morbi mentionem, ut tam immaturae mortis paullo accuratior descriptio exspectetur. Quippe ad sensum haec observatio pertinet, de quo difficile est disputare. Sed mox confirmabit eam alterius fragmenti comparatio, ubi ab initio talis descriptio deest. Hoc puto qui neget fore neminem, laudes adolescentis desiderari ob verba *καὶ Τίμαρχον, etiam Timarchum, tam egregiae indolis iuvenem*, non *quum alios, tum etiam Timarchum*, quod aperte languidum esset tantoque

poeta vel maxime indignum. Quanquam in iis, quae proxime sequebantur, unum tantum et alterum honorificum adolescentis epitheton Simonidem adiecisse crediderim, hinc statim ad narrationem de obitu eius processurum. Certe si ullum omnino versus illi, quos posui, huiusmodi narrationis desiderium movent, non potuit ea hinc procul esse remota. Accedit, quod ex altero fragmento mox patebit, poetam ad laudes defuncti uberius persequendas omnemque vitae eius rationem exponendam, praecipuum illud, ut arbitror, carminis argumentum, ab ipsa demum hac narratione transitum fecisse. Est autem fragmentum, quod exhibui, elegiae in mortem Timarchi non tantum aliqua pars, sed ipsum eius exordium, quoniam nunc primum commemorari Timarchum ex ipsa mentionis ratione est manifestum. Sed progrediendum est ad alterum eiusdem elegiae fragmentum, quod et ipsum vulgo fertur epigramma, quodque hoc nostrum in Brunckii Analectis proxime antecedit, sed eidem ut initio carminis postponi debet:

Φῆ ποτε Τίμαρχος, πατρὸς περὶ χεῖρας ἔχοντος,
ἡνίκ' ἀφ' ἱμερτὴν ἔπνεεν ἡλικίην·
ὦ Τιμηνορίδη, παιδὸς φίλου οὔποτε λήσῃ,
οὔτ' ἀρετὴν ποθέων οὔτε σαοφροσύνην.

In utroque fragmento (liceat enim tantisper sumere, quod mox docebo, fragmentum esse hoc postremum) in utroque, inquam, fragmento de Timarcho sermo est, qui illic annumeratur abreptis in flore iuventutis, ac dulci vita dicitur *ἠΐθεος* esse privatus *πρὶν ἰδεῖν κουριδίην ἄλοχον*, hic *ἱμερτὴν ἡλικίην* exspirasse, id est iuvenem obiisse, *πατρὸς περὶ χεῖρας ἔχοντος*, non uxore et liberis circumstantibus. De immatura morte Timarchi, qui postremis his versibus significatur, nullo sane opus est argumento praeter versum:

ἡνίκ' ἀφ' ἱμερτὴν ἔπνεεν ἡλικίην.

Erraret enim, si quis *ἠλικίην ἀποπνεῖν* nihil aliud esse opinaretur, quam *θυμὸν ἀποπνεῖν*, et *ἱμερτὴν* vitae omnino, cuius omne spatium hoc loco sit *ἡλικία*, epitheton ornans esse putaret. Aliter iudicabis, si huc retuleris observationem Aug. Matthiae in Gramm. Gr. mai. §. 424, 3, a. accusativum nonnunquam poni, si quaeratur, quando fiat aliqua res. Et is quidem Herodoti loco, quem affert, adiungere poterat Sophocleum illud *καιρὸν δ' ἐφήκεις* Aiac. v. 34, eodemque vocare *τὴν πρώτην, τὴν ἀρχήν*, et alia. Sed ne haec quidem observatio sufficit ad explicandam rationem loquendi. Nostrum non est in singula diligentius inquirere. Simonideam locutionem iterum habemus apud Pindarum iam a Iacobsio collatum Isthm. VII, 47. seq.

εὐαν-
θέ' ἀπέπνευσας ἁλικίαν.

Est autem apertum, Simonideam hanc et Pindaricam locutionem anacoluthon esse. Nam quum proprie dicendum fuisset *θυμὸν ἀποπνεῖν* vel simpliciter *ἀποπνεῖν ἐν ἡλικίᾳ* aut *τελευτᾶν ἡλικίαν*, utrumque per confusionem notionum iunctum habemus. Unde cernitur, *ἠλικίην* apud Simonidem esse vigorem aetatis, ut saepe, nec posse *ἱμερτὴν ἠλικίην* aliam esse, quam quae in altero eiusdem fragmento Simonidis *ἐρατὰ νεότης*, a Pindaro *εὐανθὴς ἁλικία* appellatur. Ex his non vereor ne plus iusto cogere videar, si dicam, his in versibus de eodem homine esse sermonem, de quo in illo altero agebatur fragmento. Recte igitur ibi Iacobsius, vir praeclarus, Animadv. ad Anthol. Gr. Vol. I. Part. 1. p. 264: *In eundem Timarchum.* Sed is quidem et ceteri, ni fallor, ad unum omnes de duobus epigrammatis in eundem hominem cogitarunt. Et poterant sane, si plura mortuo monumenta condita erant, totidem in eum epigrammata confici, et singulis monumentis inscribi. At parum credibile est, iuveni, qui nondum in civitate

excellere nec rebus gestis nec republica capessenda potuerat, praeter sepulcrum aliud quoque mortuo monumentum esse exstructum. Sed esto. Si versus, de quibus nunc loquimur, epigramma sunt, unam Simonides in mortem Timarchi elegiam fecit, unum epigramma; nam versus, quos prius attuli, non epigramma, sed lugubris elegiae principium esse, non minus docui, quam utrobique sermonem esse de eodem Timarcho. Iam si hoc quoque docuero, versus, de quibus nunc agitur, itidem lugubris elegiae fragmentum, nec tamen initium, sed mediam aliquam partem esse, certum erit et exploratum, illos versus exordium, hos mediam aliquam partem esse unius eiusdemque lugubris elegiae in mortem Timarchi: nisi forte Simonidem id fecisse credideris, quod nemo unquam poeta aut fecit, aut etiam sana mente potuit facere, ut conductus vel rogatus a patre quodam, ut in filii obitum elegiam componeret, pro una scriberet duas, quo ille scilicet optionem haberet. Hoc igitur agam, quod unum reliquum est, ut versus, quos ultimo loco posui, lugubris elegiae mediam aliquam partem esse ostendam. Est autem res tam facilis intellectu, ut, nisi istud fragmentum et semper esset pro epigrammate venditatum, et adhuc venditaretur, monere vix opus esse putarem, morientis Timarchi verba, quae his versibus continentur, nihili esse, per se et abrupte lapidi incisa, ac de coelo delapsa potius, quam consilio et prudenter sepulcro inscripta videri, sed etiam verba in funebri elegia suo loco collocata et usurpata, ut a narratione de morte iuvenis ad laudationem eius via muniretur, Simonidis ingenio esse dignissima. Narrationem de obitu adolescentis ab initio desiderari, res docet ipsa, siquidem non potest carmen ab eiusmodi morientis dicto tam subito initium capere. Sed quaeso, quid hoc est: *Φῆ ποτε Τίμαρχος?* Non enim, quae deinde sequuntur, dixit incerto tempore, aliquan-

do, sed moribundus, *ἡνίκ' ἀφ' ἱμερτὴν ἔπνεεν ἡλικίην.* Qui potest, obsecro, punctum temporis accuratius definiri? Nonne igitur magnopere vituperandus esset Simonides, si tam repugnantia protulisset in eiusdem carminis eodem disticho? Sed cave hoc Simonidi imputes. Immo librarius incusandus, et admittenda, quae est in promtu, certissima emendatio: *Φῆ τότε Τίμαρχος. Τότε* ad antecedentem, quae excidit, narrationem de obitu Timarchi et morbi descriptionem referendum. In fine fragmenti nemo non laudes iuvenis exspectabit, ad virtutem suam ac temperantiam provocantis. Nec sane melius, quam tali morientis Timarchi dicto, fieri potuit transitus a narratione de morte eius ad eiusdem persequendas laudes. Quae quum ita sint, iungenda sunt haec fragmenta, mutato *ποτὲ* in *τότε*, eo autem, quod postponitur a Brunckio: *Αἶ αἶ, νοῦσε βαρεῖα,* etc. praeposito, ceterum lacunae signis opportune adiectis, hunc in modum:

Αἶ αἶ, νοῦσε βαρεῖα, τί δὴ ψυχαῖσι μεγαίρεις
ἀνθρώπων ἐρατᾷ πὰρ νεότητι μένειν;
ἢ καὶ Τίμαρχον γλυκερῆς αἰῶνος ἄμερσας
ἠΐθεον, πρὶν ἰδεῖν κουριδίην ἄλοχον.
* * * * * * * *
* * * * * * * *

Φῆ τότε Τίμαρχος, πατρὸς περὶ χεῖρας ἔχοντος,
ἡνίκ' ἀφ' ἱμερτὴν ἔπνεεν ἡλικίην·
ὦ Τιμηνορίδη, παιδὸς φίλου οὔποτε λήσῃ,
οὔτ' ἀρετὴν ποθέων οὔτε σαοφροσύνην.
* * * * * * * *
* * * * * * * *

Haec clara sunt, ut opinor; *verbum non amplius addam.*

Latet etiam aliud frustulum lugubris elegiae Simonidis, eiusque in hominem scriptae, qui ad rupem Ge-

raneam naufragium fecerat, inter Epigrammata eius nr. XCII. Habes fragmentum:

Ἠερίη Γεράνεια, κακὸν λέπας, ὤφελες Ἴστρον
τῆλε καὶ ἐκ Σκυθέων μακρὸν ὁρᾷν Τάναϊν,
μηδὲ πέλας ναίειν Σκειρωνικὸν οἶδμα θαλάσσης,
ἄγκεα νειφομένας ἀμφὶ Μολουριάδος.
Νῦν δ' ὁ μὲν ἐν πόντῳ κρυερὸς νέκυς· οἱ δὲ βαρεῖαν
ναυτιλίην κενεοὶ τῇδε βοῶσι τάφοι.

Sic recte Iacobsius hos versus constituit, Salmasii et aliorum emendationibus iam a Brunckio receptis addita praeclara Hemsterhusii correctione *Μολουριάδος*. Erunt, quibus *τῇδε* in ultimo versu epigramma prodere videatur. Sed hi conferant velim Propert. IV, 11, 36:

In lapide hoc uni nupta fuisse legar.

Nempe haec est codicum et editionum veterum constans lectio, minime sollicitanda, nisi quod *legor* scribendum est ex Koppiersii coniectura. Sed obiter dicere de hoc versu est nihil dicere. Ac ne opus est quidem, si quid iudico, tali exemplo ad tuendum illud *τῇδε* in lugubri elegia: nisi forte minus poetae licere credideris, sepulcrum vel cenotaphium, quam domum vel arborem *δεικτικῶς* significare. Atqui inest his versibus idem ille doloris impetus, quem ab epigrammate lapidi insculpto alienum esse iam ante monui. Et hic quoque alia ratio accedit, quare de epigrammate ne cogitari quidem possit. Quid enim? Ponamus, hoc epigramma esse, naufragi sepulcro carentis cenotaphio inscriptum. Nomen naufragi nusquam occurrit. Ergo Simonides aut ipse nomen ignoravit, aut cognitum quidem noluit addere. At sane non modo hoc postremum, quod omnino absurdum est, sed neutrum credibile videri potest, quandoquidem memoriae certorum hominum caussa scribebantur fere epigrammata, et ipsa etiam cenotaphia, ut omnis testatur antiquitas, monumenta erant unice honoris ac memoriae caussa exstructa. Neque Callima-

chus, ut hoc utar, Epigr. XVIII, ubi ipsos, ut scite monet Ruhnkenius in Epist. Crit. I. p. 121, Simonideos, quos posui, versus expressit, nomen naufragi omisit. Callimachi tale est Epigramma:

Ὤφελε μηδ' ἐγένοντο θοαὶ νέες. οὐ γὰρ ἂν ἡμεῖς
παῖδα Διοκλείδου, Σώπολιν, ἐστένομεν.
Νῦν δ' ὁ μὲν εἰν ἁλί που φέρεται νέκυς, ἀντὶ δ' ἐκείνου
οὔνομα καὶ κενεὸν σῆμα παρερχόμεθα.

Attendas etiam ad versum postremum, qui observationem nostram confirmat mirifice. Sin quis obiiciat, nonnulla ipsius Simonidis epigrammata inveniri, inscriptum quodque militum, qui in pugna quadam ceciderint, monumento, quae omni locorum, ubi proelia facta, indicio careant, et hoc tamen in tali epigrammate idem esse, quod in eo, de quo nunc agatur, naufragi nomen: is sic habeto, in istis epigrammatis propterea locorum significatione nihil opus fuisse, quod ipsa loca, ubi monumenta condita essent, indicio fuerint, ibidem proelia esse commissa. Neque unquam in tali epigrammate, quod monumento alibi, quam ubi pugna fuerat, exstructo sive cenotaphio incisum fuerit, indicium loci frustra desideres. Exemplum sit, quo facilius intelligas, quid haec sibi velint, ipsius Simonidis Epigr. XL:

Ἀκμᾶς ἑστακυῖαν ἐπὶ ξυροῦ Ἑλλάδα πᾶσαν
ταῖς αὐτῶν ψυχαῖς κείμεθα ῥυσάμενοι
δουλοσύνας· Πέρσαις δὲ περὶ φρεσὶ πήματα πάντα
ἥψαμεν, ἀργαλέας μνάματα ναυμαχίας.
ὀστέα δ' ἄμμιν ἔχει Σαλαμίς· πατρὶς δὲ Κόρινθος
ἀντ' εὐεργεσίας μνᾶμ' ἐπέθηκε τόδε.

Habes loci indicium, quo supersedere poeta, et extremum distichum prorsus omittere potuisset, si inscriptum epigramma monumento fuisset in ipsa Salamine, nec tantum Corinthiis, sed omnibus, qui in pugna occiderant, condito. Itaque necessitas illius faciendi indicii in hoc ipso posita erat, quod epigramma cenotaphio

a Corinthiis facto erat incisum. Cave etiam, ut ad versus, de quibus nunc quaeritur, redeamus, omissum naufragi nomen defendere velis e Simonidis Epigr. LIX, scripto in ignotum hominem a latronibus trucidatum, quem ipse sepeliendum curarat:

Οἱ μὲν ἐμὲ κτείναντες ὁμοίων ἀντιτύχοιεν,
Ζεῦ Ξένι᾽· οἱ δ᾽ ὑπὸ γῆν θέντες ὄναιντο βίου.

Non enim, ne quis erret, ea Graecorum superstitio fuit, ut umbras inhumatas per cenotaphia a funesta sua sorte liberari putarent, ideoque, si fractae navis tabulas conspicerent, nossentque, naufragos sepulcro carere, his, quamvis sibi ignotis, cenotaphia conderent. Nam si ita esset, cur tandem praetores illos, qui post pugnam navalem ad Arginusas tempestate impediti caesos milites non sustulerant, supplicio affecissent? Nonne satis fuisset occisis cenotaphium condere? Sed quid opus est argumentis aliunde petitis? Ipsum, quaeso, postremum illius sive fragmenti sive epigrammatis (namque hoc ipsum quaeritur) distichum paullo diligentius consideres:

Νῦν δ᾽ ὁ μὲν ἐν πόντῳ κρυερὸς νέκυς· οἱ δὲ βαρεῖαν
ναυτιλίην κενεοὶ τῇδε βοῶσι τάφοι.

Vides, uni ex naufragis cenotaphium esse conditum, quod per enallagen numeri *κενεοὶ τάφοι* appellatur. Sed cui, et quidni singulis vel coniunctim omnibus? Mercatori, ut arbitror, aut nauarcho, aut etiam vectori cuidam, honoris caussa. Certe si caussa fuisset in superstitione posita, aut singulis fuisset aut iunctim omnibus exstruendum. Dicat quispiam, fortasse unum duntaxat caruisse sepulcro, reliquorum corpora in littore esse reperta. Quomodo igitur, si nullus vitam servarat, scire poterant, unum tantummodo desiderari? Sin quis vivus evaserat, nonne ex hoc eius, cui cenotaphium conderent, poterant nomen resciscere? Apparet denique ex hoc ipso disticho, cenotaphium e poe-

tae sententia non solum ad umbram inhumatam a fatali conditione sua liberandam nihil facere, sed etiam exemplo naufragi insepulti monere et quasi clamare, quam gravis ac periculosa sit navigatio. Sed haec hactenus. Confido, nemini amplius credibile visum iri, Simonidem in epigrammate, cenotaphio naufragi inscripto, fuisse nomen hominis omissurum. An igitur omittere in lugubri elegia potuit? Minime vero. Sed profecto non desideraretur nomen, si carmen exstaret integrum. Fragmentum hoc est lugubris elegiae in naufragum, cuius nomen, quum isto in fragmento non sit expressum, nobis ignotum est, non item iis fuit, qui legere poterant Simonidis elegiam totam.

Iam, puto, quum ex ipsis Simonideis fragmentis sit manifestum, scripsisse Simonidem carmina, quae ἔλεγοι primum vocari possent, progredi licet ad alteram quaestionis partem, atque ostendere, originem nominis ἔλεγος esse in ipsa huius poetae aetate necessario collocandam, hoc est, neque post neque ante Simonidem nomen ἔλεγος originem capere potuisse. Et illud quidem, non esse post Simonidem nomen inventum, intellectu facile est, quandoquidem occurrit nomen iam apud Euripidem, quem quidem constat Simonidis attigisse aetatem. Verum aliquanto est difficilius, hoc alterum comprobare, neque ante Simonidem originem nominis esse ponendam. Quod equidem sic demonstrare conabor, ut ostendam, carmina elegiaca ad Simonidis usque aetatem fuisse alio quodam nomine appellata, quod, si postea quoque sit usurpatum, sicut est, nusquam tamen nisi de his ipsis carminibus, origine nominum ἔλεγος, ἐλεγεία et ἐλεγεῖον antiquioribus, apud veteres quidem bonosque scriptores reperiatur.

Vereor, ne quibusdam aenigma proferre videar: sed clarius proponam sententiam. Nimirum ut carmina elegiaca Simonide antiquiora plerumque novis nomini-

bus ἐλεγεῖαι vel ἐλεγεῖα vocari solent, ita etiam pauca quidem, sed sunt tamen veterum loca, ubi eadem ἔπη dicantur. Sunt autem ista Theognidea carmina: quae quum in ipsam Simonidis priorem aetatis partem incidant, apparet, si haec adhuc ἔπη sint nominata, nullum tempus relinqui, quo nomina ἐλεγεία et ἐλεγεῖον originem ducere potuerint, nisi eiusdem partem posteriorem. Idem fere valet de nomine ἔλεγος, quod illis nominibus non multo, sed paullo tantum antiquius est existimandum. Ne quid tamen dissimulare videar, hoc ultimum video comprobandum, ac praeterea aliam quoque, eamque graviorem etiam, quam deinceps proponam, dubitationem tollendam esse, antequam liceat ad Theognidis (nam et ipse Theognis sua carmina elegiaca ἔπη vocavit) et reliquorum loca, quibus nititur hoc argumentum, transire.

Vehementer autem errabit, si quis dixerit, potuisse nomen ἔλεγος diu ante usurpari, quam carmina, quae cum ἐλέγοις metrum commune haberent, ἐλεγεῖαι et ἐλεγεῖα nominarentur, nihilque obstare, quo minus Theognidis carmina elegiaca ab ipso et aliis potuerint vocari ἔπη, etsi lugubria carmina distichis composita iam pridem coepta sint ἔλεγοι nuncupari. Nec vereor, ne cui istud contendere vel in mentem veniat, qui reputaverit, τοὺς ἐλέγους ex Graecorum usu loquendi (soli enim Romani omnia ἐλεγεῖα vocant elegos) non efficere iustum aliquod genus poeticum, sed nihil aliud esse, quam lugubria ἐλεγεῖα, neque igitur fieri ullo modo potuisse, quin, si certa quaedam lugubria carmina distichis composita ἔλεγοι dici coepissent, brevi haec appellatio aut prorsus in oblivionem veniret, aut ad lugubria cuiusvis metri carmina traduceretur, nisi paullo post nomen generis, appellatio τῶν ἐλεγείων, accessisset, quae sola potuit firmam stabilemque loquendi consuetudinem adducere. Quodsi Theognidis ἐλεγεῖα ab ipso et aliis ἔπη

vocantur, et inde iure colligi licet, nomen τῶν ἐλεγείων non ante Simonidis aetatem, in cuius priorem partem Theognidis carmina incidunt, esse inventum, idem valet de nomine ἔλεγος, eiusque origo minime potuit ab origine nominis ἐλεγεῖον procul esse remota.

Maioris momenti alia est dubitatio: qua relicta si Theognidis et ceterorum loca, ubi carmina eius elegiaca ἔπη dicuntur, in medium proferremus, operam perdere videremur. Quaeritur enim, annon et ea carmina hexametris non composita, sive elegiaca sive alia, quae peculiare quoddam sibique proprium nomen iam haberent, vocari potuerint ἔπη, ideoque hoc nomen etiam tum conveniat Theognidis carminibus elegiacis, si eius tempore nomen τῶν ἐλεγείων iam fuerit usitatum.

Concedo, non tantum elegiaca, sed alia quoque carmina, quae hexametris non constarent, ἔπη esse vocata: nego, hoc unquam nisi a quibusdam seriori aetate scriptoribus in iis carminibus factum esse, quae ad genus pertinerent, cui peculiare nomen iam tum, quum carmina conderentur, esset impositum. Perversam loquendi rationem his fere in locis reperi. Diogenes Laertius, ut ab elegiacis carminibus incipiam, I, 4, 5: ἐποίησε δὲ καὶ ἐλεγεῖα ἔπη ἑξακόσια: quae verba, ne quis forte de corruptione cogitet, eodem modo, notante Menagio, leguntur apud Suidam et Clementem Alexandrinum. De Pittaco sermo est, qui e nostra sententia origine nominis τῶν ἐλεγείων fuit antiquior. Neque tamen Diogenem retinere veterem loquendi consuetudinem voluisse dixerim. Cur enim, si hoc voluit, novam appellationem adiecit? An perspicuitatis caussa? Tum vero debebat ponere solam novam appellationem, quum nulla, ut antiquam adderet, ἡρωϊκῶν ἐπῶν mentione simul facta cogeretur. Immo huic scriptori, quum versus ἔπη vocaret, cuius tandem generis essent hi versus et quo metro compositi, nihil pensi fuisse, eundemque, si occa-

sio tulisset, nimirum recentiora quoque carmina elegiaca *ἔπη* appellaturum fuisse fatendum est. Perinde iudicandum de Suida v. *Θέογνις*: — *γνώμας δι' ἐλεγείας εἰς ἔπη βώ.* Debebat dicere: *εἰς στίχους βώ.* Nec religiosior fuit Pausanias, ut qui Tyrtaei anapaestos aeque praeter necessitatem *τὰ ἔπη τὰ ἀνάπαιστα* nominaverit IV, 15. p. 317. Neque melius Galenus de Hippocrat. et Plat. Placitis, Opp. T. V. p. 118. ed. Charter. *ὥσπερ γὰρ ἐξ Ὁμήρου καὶ Ἡσιόδου βραχέα παρεθέμην ὀλίγῳ πρόσθεν, ὧν ὁ Χρύσιππος ἔγραψεν, οὕτω ἐξ Ὀρφέως καὶ Ἐμπεδοκλέους καὶ Τυρταίου καὶ Στησιχόρου καὶ Εὐριπίδου καὶ ἑτέρων ποιητῶν ἐπῶν μνημονεύει παμπόλλων* etc. Addi etiam poterunt alia exempla: nos adiecisse satis habemus, fuisse, qui eo usque progrederentur, ut hexametros *ἡρῷα* mallent quam *ἔπη* dicere, ne scilicet ambigua appellatio esset. Eustathius p. 1380. l. 63: *Ὅτι δὲ τὰ ἑξάμετρα οὐ πάνυ ἠξίουν ἔπη καλεῖσθαι, δηλοῖ ὁ ἐν ῥητορικῷ λεξικῷ εἰπών, ὡς ἀντέκειτο ὁ ἐποποιὸς τῷ μελοποιῷ. καὶ ἡρῷα ἔλεγον, οὐκ ἔπη, τὰ ἑξάμετρα.* Ceterum in Pausaniae Lexico Rhetorico *ἐποποιοὶ* erant, qui verba, non qui versus, ut Eustathius putavit (quod etsi ad sensum tantundem est, differt tamen, si significationem spectas), *μελοποιοί*, qui modos faciunt. Sed hactenus de perversa posteriorum hominum loquendi consuetudine, quae quidem nullius momenti est in quaestione de origine nominis *τῶν ἐλεγείων.*

Falsum est, quod Eustathius, et quicunque utuntur sinistra isthac ratione dicendi, credidere, antiquos probatosque scriptores promiscue usos esse nomine *τῶν ἐπῶν* de quibusvis carminibus, etiam proprio generis sui nomine recentioribus. Quod quum sit docere aggressus Nunnesius in Notis ad Procli Chrestom. p. 64, ostendam, hunc virum, quod voluit, consecutum non esse, idemque verum omnino esse negabo, donec bonorum et antiquorum loca scriptorum, fuerint in medium allata,

non ubi vulgo soleant ἔπη per versus explicari, qui non sint heroici, neque etiam ante inventum proprium generis sui nomen conditi, sed ubi aliter non possint intelligi: quod ut fieri queat, magnopere vereor. Ac ne in refutando Nunnesio temere acquiescere, et hinc ad rem omnem pro arbitrio conclusionem facere videar, in tota hac quaestione ita versabor, ut, quum Nunnesius pro sua sententia bina ad Aristophanem scholia commemorarit, ubi ἔπη per iambos explicantur, et intelliguntur iambici versus, qui nomine τῶν ἰαμβείων antiquiores haberi nequeunt, ego non solum altero loco certe praeter necessitatem, altero utique falso id fieri doceam, sed alia etiam, quae praeterea sunt in promtu, eiusdem poetae loca, quae eodem modo solent intelligi, aliter interpretanda esse demonstrem. Sunt autem in his omnibus Comici locis ἔπη non *versus*, sed partim *verba*, partim *dicta*. Quod quum docuero, hinc facile, si quis alia forte veterum loca reperiat, ubi ἔπη itidem per versus, qui non sint heroici, recentiores autem proprii nominis sui origine, explicentur, haec ad eadem illa genera poterit revocare. Ceterum ipsa Procli verba, ad quae pertinet Nunnesii annotatio, nostram confirmare sententiam, deinde patebit. Aristotelis autem in libro de Poetica locum, ubi is omnem orationem, tam solutam quam poeticam, communi appellatione τῆς ἐποποιΐας comprehendit, ab iis multum distare, ubi poemata peculiaris cuiusdam generis ab heroico diversi ἔπη vocantur, ideoque huc trahi a Nunnesio nequaquam debuisse, monere vix opus est.

Ad illa Aristophanis progrediamur, ubi ἔπη de versibus non heroicis, iisque post inventum proprium generis sui nomen conscriptis usurpari putantur, et primum quidem ad ea, ubi ex vera interpretandi ratione *verba*, deinde ad ea, ubi *dicta* ἔπη vocari existimanda sunt. Verba autem in his ἔπη dicuntur. Aristoph. Ran. v. 812. seqq.

καὶ κανόνας ἐξοίσουσι καὶ πήχεις ἐπῶν,
καὶ πλαίσια ξύμπηκτα πλινθεύσουσί γε,
καὶ διαμέτρους καὶ σφῆνας. ὁ γὰρ Εὐριπίδης
κατ' ἔπος βασανιεῖν φησὶ τὰς τραγῳδίας.

Ubi ἐπῶν et κατ' ἔπος non modo *versuum* et *singulis versibus*, ut vulgo enarrant, verum etiam *verborum* et *singulis verbis* verti posse, a Beckio iam est observatum. Praeferenda ergo posterior haec interpretatio, dum demonstratum fuerit certis exemplis, alteram illam linguae convenire. Idem valet de v. 983. (987.) seqq.

λεπτῶν τε κανόνων ἐσβολὰς ἐπῶν τε γωνιασμούς
νοεῖν, ὁρᾶν, ξυνιέναι, στρέφειν, ἐρᾶν, τεχνάζειν
καχυποτυπεῖσθαι, περινοεῖν ἅπαντα.

ubi ad alterum illum locum respicitur. Et hic quoque Beckius ἔπη de *verbis* recte iam est interpretatus. Post in eadem fabula, ubi chorus Musas implorat pro Aeschylo et Euripide, certamen poeticum inituris, haec leguntur v. 908. seqq.

πορίσασθε
ῥήματα καὶ παραπρίσματ' ἐπῶν.
νῦν γὰρ ἀγὼν σοφίας ὅδε μέγας
χωρεῖ πρὸς ἔργον ἤδη.

Ita finitis chori precibus, ipsum Aeschylum atque Euripidem his verbis Bacchus alloquitur:

Εὔχεσθε δὴ καὶ σφώ τι πρὶν τἄπη λέγειν.

Kusterus neglexit omnino ῥήματα, vertitque παραπρίσματ' ἐπῶν *scobem numerorum*, et πρὶν τἄπη λέγειν *priusquam carmina dicatis*, utrobique igitur versus intellexit mox in certamine poetico a tragicis illis proferendos. Berglerus etiam nomine versuum usus est in interpretatione sua. Sed ante omnia videndum est de vocabulo ῥήματα, quod corruptum et ante corrigendum puto, quam de sententia quidquam possit constitui. Scholiastes: Τὰ μὲν ῥήματα, inquit, πρὸς τὸν Αἰσχύλον· τὰ δὲ παραπρίσματα πρὸς τὸν Εὐριπίδην λεπτολογοῦντα. Quod si verum

est, aperte ad ῥήματα desideratur epitheton, quoniam nonnisi sublimia Aeschyli et magnifica verba, non verba eius simpliciter, Euripidis subtilitati opponi poterant. Neque vero aut necessaria est ista Graeci hominis interpretatio, aut etiam tolerabilis videri potest. Quid enim? Ubique poetam in hac Musarum invocatione utrique, tam Aeschylo quam Euripidi, subtilitatem tribuere, ita tamen, ni fallor, ut, dum de utroque loquitur, unum potissimum tangere velit Euripidem, nemo negabit, qui principium invocationis considerarit, v. 900. seqq.

Ὦ Διὸς ἐννέα παρθένοι ἁγναί,
Μοῦσαι, λεπτολόγους
ξυνετὰς φρένας αἳ καθορᾶτε
ἀνδρῶν γνωμοτύπων, etc.

Quis credat igitur, ῥήματα Aeschyli esse verba magnifica? Ne multa, ad subtilitatem aperte omnia hic sunt referenda. Atqui ne sic quidem ῥήματα per se posita ferri possunt, nullo epitheto ad subtilitatem verborum indicandam adiecto. Quid ergo? An epitheton excidisse videri debet? Noli putare. Valeant potius omnino ῥήματα, quamvis ea praeter codices omnes etiam Scholiastes agnoscat. Scribendum lenissima mutatione:

πορίσασθε
ῥήγματα καὶ παραπρίσματ' ἐπῶν,

Dicuntur autem ῥήγματα, hoc est ἀπορρήγματα ἐπῶν, ut apud Platonem sub finem Hippiae maioris, κνίσματα καὶ περιτμήματα τῶν λόγων, κατὰ βραχὺ διῃρημένα, quae quidem paullo post ibidem vocantur σμικρολογίαι, pertinetque metaphora per totum versum ad subtilia et minuta verborum discrimina. Verborum inquam, non sermonum, quum nostro in loco dictionis, non argumentationis subtilitas significetur, illa autem in verborum, haec in sermonum et argumentorum accurata et religiosa distinctione versetur. Non aliter v. 851. lingua Euripidis

dicitur *ῥήματα δαίεσθαι,* verba dividere seu findere, non concidere Aeschyli verba; siquidem de specimine facultatis poeticae isto in certamine exhibendo, non de altercatione, sermo est. Nec multum, sed distant tamen Nub. v. 130, quem versum Berglerus contulit, *λόγων ἀκριβῶν σχινδάλαμοι.* Iam etiam ultro intelligitur, quomodo accipiendus sit ultimus ille versus:

Εὔχεσθε δὴ καὶ σφώ τι πρὶν τἄπη λέγειν.

Videlicet *πρὶν τἄπη λέγειν* nihil aliud est, quam *priusquam verba illa, minuta cum diligentia secundum exigua sua discrimina delecta, in medium proferatis.* Restat locus ab ipso Nunnesio memoratus, in eadem hac Comoedia v. 975 (979):

Ἔπειτ' ἀπὸ τῶν πρώτων ἐπῶν οὐδὲν παρῆκ' ἂν ἀργόν,

cum Scholio: *Ἐπῶν δέ, τῶν ἰαμβείων. ἔπη γὰρ καὶ αὐτὰ καλοῦσιν.* At hic quoque quid obstat, quo minus *ἔπη verba* exponas? Ideone minus *ἀπὸ τῶν πρώτων ἐπῶν* erit *ab initio inde?*

Et haec fere de iis poetae locis dicere habui, ubi *verba* sunt *ἔπη*, per *versus* vulgo explicata. Reliquum est, ut pauca de iis addam, ubi eadem per *dicta* sunt interpretanda. Nempe, ut statim adiungam alterum locum a Nunnesio excitatum, idem Aristophanes Equit. v. 37. ed. Kust. ita habet:

Οὐ χεῖρον. ἓν δ' αὐτοὺς παραιτησώμεθα,
ἐπίδηλον ἡμῖν τοῖς προσώποισιν ποιεῖν,
ἢν τοῖς ἔπεσιν χαίρωσι καὶ τοῖς πράγμασιν.

Schol. *Ἔπεσι, τοῖς ποιήμασιν, ἢ τοῖς λεγομένοις, ἢ τοῖς ἰάμβοις. πᾶν γὰρ ἔπος μέτρον καλοῦσι.* Loquuntur Demosthenes et Nicias, Atheniensium duces, qui finguntur Cleonis servi ab hoc male habiti et aufugere cupientes. Hunc ille interrogarat, velletne, rem spectatoribus proponeret? Versus, quos attuli, respondentis sunt Niciae. Pessima vero interpretatio: *ἔπεσι, τοῖς ποιήμασιν*, et ab homine profecta, qui vim nominis, quaecun-

que in mentem veniebat, arripuit, de sententia parum sollicitus. Aliter Comicum intellexit antiquior, ut videtur, Scholiastes a nostro exscriptus, qui ἔπη per *ἰάμβους* est interpretatus, eos nimirum, quibus deinceps Demosthenes spectatoribus rem exponit. Quae inde sequuntur in Scholio, aperte ita sunt transponenda: *πᾶν γὰρ μέτρον ἔπος καλοῦσι.* Sed metrum omnino hic in considerationem non venit, et unice vera est tertia interpretatio: *ἔπεσι, τοῖς λεγομένοις.* Eandem tam recentiores fere, quam alius sequitur Scholiastes, cuius haec est annotatio: *Δεικνύειν φησὶν ἡμῖν διὰ τῶν προσώπων, εἰ χαίρουσι τοῖς λεγομένοις. ἐκ γὰρ τοῦ προσώπου δηλοῦται ἡ τῆς ψυχῆς διάθεσις.* Traducitur solennis apud Atticos oratores formula, qui saepissime *λόγους* et *ἔργα, λέγειν* et *πράττειν* iunctim ponere solent. Qua in formula nomine *τῶν ἐπῶν* utuntur poetae. Homerus Od. *γ*, 99:

ἢ ἔπος ἠέ τι ἔργον ὑποστὰς ἐξετέλεσσεν.

Sophocles Electr. v. 622. seq.

ὦ θρέμμ' ἀναιδές, ἦ σ' ἐγὼ καὶ τἄμ' ἔπη
καὶ τἄργα τἀμὰ πόλλ' ἄγαν λέγειν ποιεῖ.

Sed haec hactenus. Alio loco, Thesm. v. 419. seq.

διὰ τοὔπος τοδέ·
Δέσποινα γὰρ γέροντι νυμφίῳ γυνή.

monuisse sat est nihil opus esse interpretatione *propter hunc versum*, et posse etiam verti *propter hoc dictum.*

Hoc verum est, nihil amplius, carmina non solum elegiaca, sed alia quoque hexametris non composita, communi nomine *ἔπη* tamdiu esse vocata, quamdiu generi, ad quod pertinerent, peculiare ac proprium nomen nondum esset impositum, eandemque appellationem de talibus carminibus nomine suo antiquioribus postea quoque interdum esse usurpatam. Exemplo utar iambicis Archilochi carminibus. Meleager Epigr. CXIX, 3. seqq. e Graefii recensione:

πολλὰ δ' ὁ πικρὸς
αἰσχρὰ καθ' ἡμετέρης ἔβλυσε παρθενίης
Ἀρχίλοχος, καλὴν δ' ἐπέων φάτιν οὐκ ἐπὶ καλὰ
ἔργα, γυναικεῖον δ' ἔτραπεν εἰς πόλεμον.
Πιερίδες, τί κόρησιν ἐφ' ὑβριστῆρας ἰάμβους
ἐτράπετ', οὐχ ὁσίῳ φωτὶ χαριζόμεναι;

Loquentes poeta inducit Lycambis filias, et iambos, quibus laceratae ab Archilocho erant, ἔπη nominantes. Theocritus Epigr. XVIII, 5. seq.

ὡς ἐμμελής τ' ἔγεντο κἀπιδέξιος
ἔπεά τε ποιεῖν πρὸς λύραν τ' ἀείδειν.

Sermo est de eodem Archilocho, quem supra Theocritus dixerat τὸν πάλαι ποιητὰν τὸν τῶν ἰάμβων: ut appareat, hic quoque iambos esse Archilochi, qui ἔπη vocantur, et veram esse Liebelii interpretationem, qui in Reliq. Archil. p. XI. verba ἐπιδέξιος ἔπεά τε ποιεῖν πρὸς λύραν τ' ἀείδειν ita expressit: *carminis solers pangendi et ad modos lyrae canendi*, falsam, quam D. Heinsius prodidit: *dexter et exactus eposque dicere ad lyramque cantum.* Adde quod vel per se πρὸς λύραν ἀείδειν est canere ad lyram, non canere lyrica carmina, quae quidem, ne quis erret, nec sola nec semper et unice ad lyram canebantur; ne dicam, etiam concinnitatis caussa verba ποιεῖν et ἀείδειν sibi opponi putanda esse. Nec denique Archilochus omnino aut epicus poeta fuit, aut ullum omnino fecit poema epicum. Nam quod Nicephorus narrat in Schol. ad Synes. de Insomn. p. 429. ed. Prevot. Ὁ Ἀρχίλοχος οὗτος ἀρχαῖος ἦν λυρικὸς ποιητής, ὃς οὐ μόνον πρὸς λύραν ᾖδεν, ἀλλὰ καὶ ἐν μέτρῳ ἡρωϊκῷ τὰ καθ' αὐτὸν ἔγραψεν. huic commento nihil est tribuendum. Et sunt quidem τὰ καθ' αὐτόν, ut recte Liebelius monuit p. 45, quanquam male additis aliis coniecturis, ducta e Synesii loco perperam intellecto, de Insomn. p. 156, ubi is Archilochum tradit δεδαπανηκέναι τὴν εὐστομίαν εἰς οἰκεῖον βίον, passim nimirum in carminibus suis, non,

ut Nicephorus credidit, in singulari quodam poemate. Sed unde istud *ἐν μέτρῳ ἡρωϊκῷ*? Ex ipso, nisi plane fallor, Theocriti dicto non melius intellecto; quod exprimere voluisse Nicephorum, manifestum est praecipue ex usu formulae *πρὸς λύραν ᾄδειν* de compositione carminum lyricorum. Collegit ex verbis Theocriti, fecisse Archilochum epicos versus, iamque, quum nullum talium Archilochi versuum alibi vestigium reperisset, huc traxit *τὰ καθ' αὐτόν*, e Synesii sui loco efficta. Hoc igitur teneamus, Archilochi iambos non minus, quam Theognidis elegias, *ἔπη* vocari. Hinc vero mea quidem sententia nihil aliud consequitur, quam quod etiam per se consentaneum est, nomen *ἴαμβος* Archilocho esse recentius, et ipsum fortasse Archilochum iambos suos *ἔπη* nominasse.

Pauca addam de Procli loco, ad quem illustrandum Nunnesius conscripsit annotationem illam, de qua ante a nobis est iudicatum. Qui locus occasionem nobis suppeditabit ad rationem huius loquendi consuetudinis explicandam. Et Proclus quidem in Chrestom. ap. Photium Bibl. p. 982, recepta, si Photio credas, vel commemorata potius, ut arbitror, eorum opinione, qui hexametros ab oraculis hoc metro compositis *ἔπη* primum appellatos, et ita hoc nomen proprium huius metri factum esse credebant, ita pergit: *οἱ δὲ φασίν, ὅτι διὰ τὴν κατασκευὴν καὶ τὴν ἄγαν ὑπεροχὴν τὴν ἐν τοῖς ἑξαμέτροις θεωρουμένην τὸ κοινὸν ὄνομα παντὸς τοῦ λόγου τὸ ἑξάμετρον ἰδιώσατο, καὶ ἐκλήθη ἔπος, καθάπερ καὶ ὁ Ὅμηρος τὸν ποιητὴν ᾠκειώσατο· ἐπεὶ καὶ τὰ τρίμετρα ἔπη προσηγόρευον. Ἰδιώσατο* scripsi pro *ἰδιώτατον*, itemque articulum addidi ante *ποιητήν*, postulante sententia. Et utrumque exstare video in Etym. M. p. 327. seq. ubi eadem Procli prodita sunt. Postrema verba: *ἐπεὶ καὶ τὰ τρίμετρα ἔπη προσηγόρευον*, ostendunt sane, hanc opinionem altera esse tolerabiliorem. Sed neutra, si quid iudico, vera, et sic potius

hac de re statuendum est. In his, quae ubique nobis occurrunt apud Homerum, *ἔπεα πτερόεντα προσηύδα, τοῖσδ' ἐπέεσσιν*, et similibus, *ἔπεα* verba sunt, sed quae versibus, iisque heroicis, continentur. Hinc ad versus in genere, praecipue ad hexametros, Homericis temporibus unice usitatos, appellatio *τῶν ἐπῶν* videtur esse translata. Eodem pertinet Odysseae principium, ubi simile quid iam annotatum debemus Eustathio p. 1380. l. 60: *ἐκ δὲ τοῦ ἔννεπε ἀρχὴ ἐνδέδοται τοῖς καλοῦσι τοὺς ἡρωϊκοὺς στίχους ἔπη, καὶ ἐποποιοὺς τοὺς ποιητάς.* Pergit ita: *νεωτέρων δὲ ἡ τοῦ ἔπους χρῆσις ἐπὶ τῶν ποιητικῶς μετρούντων. Ὅμηρος γάρ, ὡς δι' ὅλης τῆς αὐτοῦ ποιήσεως φαίνεται, τὸν ἁπλῶς λόγον ἔπος φησίν.* Non male. Sed est tamen memorabile posterioris loquendi rationis vestigium iam apud Homerum Od. θ, 90. seqq.

αὐτὰρ ὅτ' ἂψ ἄρχοιτο, καὶ ὀτρύνειαν ἀείδειν
Φαιήκων οἱ ἄριστοι· ἐπεὶ τέρποντ' ἐπέεσσιν·
ἂψ Ὀδυσεὺς etc.

et aliud ibid. ρ, 518. seq.

ὡς δ' ὅτ' ἀοιδὸν ἀνὴρ ποτιδέρκεται, ὅστε θεῶν ἐξ
ἀείδει δεδαὼς ἔπε' ἱμερόεντα βροτοῖσιν, etc.

Quibus in locis manifesto poeta de universo cantu cogitavit, verba ut praecipuam eius partem commemorans. Atque haec ipsa loca ad posteriorem loquendi consuetudinem introducendam haud dubie plus etiam, quam reliqua, contulerunt. Iam igitur sua sponte nemo non videt; fieri non potuisse, quin postea hexametri semper, cetera metrorum genera eo usque *ἔπη* nominarentur, quoad cuique peculiare nomen suum inditum esset. Sunt, quae addi his possint: nos viam indicasse satis habemus.

Nunc demum progredi licet ad ea loca, ubi elegiaca Theognidis carmina *ἔπη* dicuntur. In Platonis Menone p. 95. D. ubi de Theognidea quadam sententia sermo est, quaerit Meno: *Ἐν ποίοις ἔπεσιν;* Respondet

Socrates: *Ἐν τοῖς ἐλεγείοις.* Ex quo loco Platonico Conr. Schneiderus in Stud. Heidelb. Vol. IV. p. 47. iam dixit evinci posse, ante inventionem nominis *ἔλεγος* disticha communi nomine cum hexametris *ἔπη* esse vocata. Sed sumsit, quod ostendere debebat, quodque a nobis modo est demonstratum, carmina, quae hexametris non constarent, omnino tum tantum *ἔπη* a bonis esse et antiquis scriptoribus appellata, quum essent proprio generis sui nomine antiquiora. Menonis quaestio eo pertinet, quod Theognis heroicos etiam fecerat versus, qui ipsius aetate eodem adhuc nomine cum elegiacis comprehensi, et una cum his *ἔπη* fuerant nuncupati, nunc vero, invento nomine *τῶν ἐλεγείων*, ab iisdem poterant assumta hac nova appellatione discerni. Res declaratur Suidae loco, quem ponam corruptum, ut vulgo exhiberi solet, et mox emendabo. Suidas nimirum v. *Θέογνις* scripsisse Theognidem ait tum elegiam, quae aliorsum pertinet, tum *γνώμας δι' ἐλεγείας εἰς ἔπη βω. καὶ πρὸς Κύρνον, τὸν αὐτοῦ ἐρώμενον, γνωμολογίαν δι' ἐλεγείων, καὶ ἑτέρας ὑποθήκας παραινετικάς, τὰ πάντα ἐπικῶς.* et ita pergit: *Καὶ παραινέσεις μὲν ἔγραψε Θέογνις· ἀλλ' ἐν μέσῳ τούτων* etc. Mirum vero istud *τὰ πάντα ἐπικῶς*, ubi de latiore usu vocabuli *ἐπικῶς* cogitare ineptum foret, arctior autem repugnat antecedentibus. Optime procedent reliqua, si *τὰ πάντα* alieno loco hic posita esse credas. Atqui eadem verba in sententia, quae proxime sequitur, aperte desiderantur. Quid multa? Posterior sententiae pars sic restituenda: — *καὶ ἑτέρας ὑποθήκας παραινετικὰς ἐπικῶς. Καὶ τὰ πάντα παραινέσεις μὲν ἔγραψε Θέογνις· ἀλλ' ἐν μέσῳ τούτων* etc. Ut appareat, scripsisse Theognidem gnomas et epicas et elegiacas. Huc autem, ut dixi, referenda apud Platonem Menonis quaestio: *Ἐν ποίοις ἔπεσιν*; *iisne, quae proprie hoc nomine appellantur, an elegiacis, eodem adhuc a Theognide cum illis nomine comprehensis?* Nec licet, si ita quaestionem acceperis,

mirari responsum: *'Εν τοῖς ἐλεγείοις.* Non enim praeter necessitatem, ut Suidas loco modo allato et alii, de quorum perversa loquendi ratione ante disserui, sed coactus latiore ambitu antiquae appellationis, ita a se usurpatae, ut heroica simul et elegiaca carmina significaret, hoc igitur coactus Plato adiunxit antiquae novam appellationem. In Xenophontis fragmento apud Pseudoplutarchum pro Nobilitate et Stobaeum, e cod. Bibl. Reg. Paris. descripto a Brunckio ad Gnom. Poet. Gr. p. 280. seq. quater eiusdem illius Theognidis elegiaca carmina simpliciter *ἔπη* dicuntur, bis item ab ipso Theognide v. 19. seqq.

Κύρνε, σοφιζομένῳ μὲν ἐμοὶ σφρηγὶς ἐπικείσθω
τοῖσδ' ἔπεσιν· λήσει δ' οὔποτε κλεπτομένη.
οὐδέ τις ἀλλάξει κάκιον τοῦ 'σθλοῦ παρεόντος.
ὧδε δὲ πᾶς ἐρέει· Θεύγνιδός ἐστιν ἔπη,
τοῦ Μεγαρέως, etc.

Proinde haec Theognidis carmina, quae in Simonidis priorem aetatis partem incidunt, usu nominum *ἔλεγος, ἐλεγεία* et *ἐλεγεῖον* antiquiora sunt, nec potest nominum eorum origo ante Simonidis tempora collocari. Atqui neque post aetatem Simonidis haec primum esse usurpari coepta, ante vidimus. Ergo origo eorum necessario est in ipsa Simonidis aetate quaerenda.

Quodsi non modo Simonides scripsit carmina, quae primum *ἔλεγοι* dici possent, verum etiam origo nominis in ipsa Simonidis tempora incidit: nunc demum certum et exploratum est, nomen *ἔλεγος* de Simonidis Leoprepidae lugubribus elegis usurpari coepisse. Iam, quaeso, memineris, illud iam intellexisse Alexandrinos grammaticos, ab Atticis demum funebria carmina distichis condita *ἐλέγους* esse vocata, atque ex ipsis huiuscemodi Alexandrinorum locis, ubi Attici generatim *οἱ παλαιοὶ* sint appellati, vulgarem Horatii iam aetate opinionem de elegia primum lugubri videri profectam. Nonne ex

his omnibus certissimum est, falsam esse opinionem istam? Atqui hanc solam obstare, quo minus aut Callinus aut Archilochus inventor non tantum possit haberi, sed etiam debeat necessario, in superioribus est demonstratum. Sed uter tandem inventor fuit? Nempe is, qui altero est antiquior. Sed hoc ipsum quaeritur, uter antiquior sit; neque aliunde veterum est profecta dissensio.

Ex ipsis veterum disputationibus de aetate Callini et Archilochi minus quidem est nobis relictum, quam si exstarent adhuc Scamonis, Theophrasti, Cydippi, Aristophanis, Aristodemi, Aristotelis, Philostephani et Stratonis libri *περὶ Εὑρημάτων*, quos e Clemente Alexandrino recenset Bentleius Resp. ad Boyleum p. 451. ed. Lips. sed tantum tamen, ut possit intelligi, Horatii temporibus re vera adhuc sub iudice litem fuisse. Strabo XIV. p. 647. (958.) seq. *καὶ τὸ παλαιὸν δὲ συνέβη τοῖς Μάγνησιν ὑπὸ Τρηρῶν ἄρδην ἀναιρεθῆναι, Κιμμερικοῦ ἔθνους, εὐτυχήσαντος πολὺν χρόνον, τῷ δ' ἑξῆς ἔτει Μιλησίους κατασχεῖν τὸν τόπον. Καλλῖνος μὲν οὖν ὡς εὐτυχούντων ἔτι τῶν Μαγνήτων μέμνηται καὶ κατορθούντων ἐν τῷ πρὸς Ἐφεσίους πολέμῳ· Ἀρχίλοχος δὲ ἤδη φαίνεται γνωρίζων τὴν γενομένην αὐτοῖς συμφοράν·*

κλαίειν τὰ Θάσσον, οὐ τὰ Μαγνήτων κακά.

ἐξ οὗ καὶ τὸ νεώτερον εἶναι τοῦ Καλλίνου τεκμαίρεσθαι πάρεστιν. Ἄλλης δέ τινος ἐφόδου τῶν Κιμμερίων μέμνηται πρεσβυτέρας ὁ Καλλῖνος, ἐπὰν φῇ·

Νῦν δ' ἐπὶ Κιμμερίων στρατὸς ἔρχεται ὀμβριμοέργων,

ἐν ᾗ τὴν Σάρδεων ἅλωσιν δηλοῖ. Est, cui ante Archilochi versum aliquid excidisse, et mox in Callini versu scriptura *ὀβριμοέργων* praeferenda videatur: quorum illud ineptum, hoc falsum esse, nemo peritus ignorat. In Archilochi versu ea, quam posui, constans fere codicum lectio est, expulsa nunc apud novissimum in Germania editorem (nam quae apud exteros nuper prodie-

runt editiones, non sunt ad manum) infelici Tyrwhitti coniectura:

κλαίειν τὰ Θασίων, οὐ τὰ Μαγνήτων κακά.

Paullo melius Henr. Dodwellus Exercit. II. de Aetate Pythag. p. 107. tacite correxit:

κλαίειν Θάσσον, οὗ τὰ Μαγνήτων κακά.

Qua in emendatione haud dubie verum est *Θάσσον, οὗ.* Stephanus Byzantius, et Plinius Hist. Nat. IV, 23. *Θάσσον* et *Thassum* vocant insulam geminata littera *σ*, ipsum, ut opinor, secuti Archilochum, qui hoc fecit metri caussa. In nummis *Θάσιοι* appellantur incolae, monente Harduino ad Plinium. Sed correctio ista metrum pervertit; neque *τὰ* simpliciter omitti debebat. Liebelii nuperos errores praetereo. Scripsit Archilochus:

κλαίοντα Θάσσον, οὗ τὰ Μαγνήτων κακά.

Et haec quidem hactenus. Clemens Alexandrinus Strom. I. p. 398: *Μέμνηται γ᾽ οὖν* (*᾽Αρχίλοχος*) *καὶ τῆς Μαγνήτων ἀπωλείας, προσφάτως γεγενημένης. Σιμωνίδης μὲν οὖν κατὰ ᾽Αρχίλοχον φέρεται· Καλλῖνος δὲ πρεσβύτερος οὐ μακρῷ. τῶν γὰρ Μαγνήτων ὁ μὲν ᾽Αρχίλοχος ἀπολωλότων, ὁ δὲ εὐημερούντων μέμνηται.* Utrobique, tam apud Strabonem, quam apud Clementem, propterea Callino posterior perhibetur Archilochus, quod commemorarit Magnetum interitum, Callino ignotum. Et idem hoc argumentum sine dubio omnes urgebant, qui Callino inventionem elegiaci carminis assignabant.

Quomodo igitur esse poterant, qui nihilo secius inventorem elegiae Archilochum esse contenderent? Non enim satis erit, si quis dixerit, hunc esse Herculem quendam poetarum, in quem omnium fere generum poesis, atque etiam ipsius hexametri, inventio conferatur. Argumento ex temporum ratione ducto aliquid opponas necesse est, si contrariam profiteri sententiam, neque peritorum te risui exponere velis. Quod nisi fecissent grammatici, qui inventionem elegiae tribuebant

Archilocho, profecto Horatius non dixisset, adhuc sub iudice esse litem. Et habebant sane, quod contra afferrent non sine specie veritatis. Athenaeus XII, 29. p. 525. C. *Ἀπώλοντο δὲ καὶ Μάγνητες οἱ πρὸς τῷ Μαιάνδρῳ διὰ τὸ πλέον ἀνεθῆναι, ὥς φησι Καλλῖνος ἐν τοῖς ἐλεγείοις καὶ Ἀρχίλοχος. ἑάλωσαν γὰρ ὑπὸ Ἐφεσίων.* Haec repugnare iis, quae e Strabone et Clemente modo attuli, omnes consentiunt, excepto Dodwello Exercit. II. de Aetate Pythag. p. 110, qui existimat ab Athenaeo luxus tantummodo testem laudari Callinum, cladis Archilochum, aliamque ne attigit quidem discrepantiam, quod Strabo a Treribus, gente Cimmerica, Athenaeus ab Ephesiis refert exstinctos esse Magnetes. Sed vel ii, qui repugnantiam agnoscunt, Strabonis locum perverse accipiunt, neque animadvertunt, sequi Athenaeum sententiam, sed male intellectam, eorum, qui elegiam ab Archilocho inventam censebant.

Sermo est utrobique de Magnesia ad Maeandrum, cuius incolas Strabo ait a Callino commemorari ut opibus adhuc florentes, atque in bello Ephesino hostes feliciter propulsantes. *Εὐτυχούντων* apud Strabonem vel collocatio verborum docet per se accipiendum, non iungendum esse cum verbis *ἐν τῷ πρὸς Ἐφεσίους πολέμῳ,* ideoque ad opulentiam spectare, non ad bellicam fortunam. *Κατορθοῦν,* ubi vi, ut aiunt, intransitiva dicitur, proprie est *se sustinere.* Quum igitur a propria significatione praeter necessitatem recedendum non sit, Magnetes ex mente Strabonis non irruisse putandi sunt Callini temporibus in agrum Ephesinum, sed nonnisi pro re domestica decertasse. Neque hactenus a Strabone dissentire Clemens Alexandrinus debet videri. Poterant autem vinci Magnetes adeoque magna clade affici ab Ephesiis, et nihilo minus in rerum abundantia vivere, in belloque se sustinere. Neque aliter se rem habere, tum Hermippi narratiuncula de Pherecyde de-

clarat apud Diog. Laert. I, 11, 4, tum etiam ipse Strabo non dicit quidem, sed significat, quippe qui de Archilochi versu dubitanter loquatur, nec certo audeat affirmare, hunc esse ad Magnesiam deletam penitus a Cimmeriis potius, quam ad Magnetum superiorem aliquam cladem ab Ephesiis acceptam referendum. Sic enim procul dubio haec accipienda: *ἤδη φαίνεται γνωρίζων* etc. Ceterum ex his aut similibus, lectis alicubi et perperam intellectis, Clementem collegisse crediderim, quod dicit, Archilochum excidii Magnetum, quod paullo ante ipsius memoriam acciderit, *τῆς Μαγνήτων ἀπωλείας, προσφάτως γεγενημένης*, facere mentionem. Certe id ex ipso Archilochi versu efficere minime potuit. Ex illis perspicuum est, Athenaeum Straboni haud repugnaturum fuisse, si Magnetes ante dixisset in proelio ab Ephesiis esse devictos, quam funditus a Cimmeriis everteretur Magnesia, et ita Magnetes exstinguerentur, ut anno post agrum tenerent Milesii. Et ita sine dubio loquebantur ii, quos ob oculos habuit Athenaeus. Verum enimvero de Archilochi versu antiquissima fuit, si quid iudico, contentio grammaticorum, quorum altera pars, ut Strabo et Clemens, hunc versum ad Magnetes referret a Cimmeriis deletos, altera, ut Athenaeus, ad cladem, qua antea ab Ephesiis affecti essent Magnetes. Et illa quidem sententia fuit eorum, qui Callinum, haec eorum, qui Archilochum elegiae inventorem censebant.

Est sane altera illa ratio vel propterea verisimilior, quod *τὰ Μαγνήτων κακὰ* in Archilochi versu proverbii instar usurpantur, ideoque ad calamitatem spectant ingentem. Sed altera pars grammaticorum ad alia fortasse argumenta provocabat, quibus Archilochum inventorem, ideoque Callini certe aequalem fuisse doceret; et poterant esse, qui ex temporum ratione ostendere conarentur, Archilochum antiquiorem esse Callino. Atque ita, ut mox apparebit, iudicandum erit,

si Dodwello concesseris, ad Ardyis regnum referendam esse Callini aetatem. Sit tamen ita comparatus Archilochi versus, ut certum sit, non tantum probabile, pertinere eum ad Magnetum interitum Callino ignotum, non ad cladem ab hoc itidem commemoratam. Quid inde amplius colligi licebit, quam Archilochum superstitem fuisse Callino? Itaque Archilochus vel sic Callini aequalis, immo vel ante hunc natus existimari poterit, praesertim si iuvenem Callinum, et in ipso fortasse bello, seu contra Magnetes seu contra Cimmerios, mortuum esse credideris. Dicit quidem Strabo, eam Cimmeriorum, qua Sardes captae sint, incursionem, a Callino commemoratam, aliam esse et antiquiorem ea, qua diruta sit Magnesia: sed dicit hoc, non confirmat. Neque credibile est, id esse concessum ab iis, qui Archilochum elegiae inventorem ferebant. Quid? quod repugnat alter eiusdem illius caussae patronus, Clemens Alexandrinus, quum dicit: *Καλλῖνος δὲ πρεσβύτερος οὐ μάκρῳ. τῶν γὰρ Μαγνήτων ὁ μὲν Ἀρχίλοχος ἀπολωλότων, ὁ δὲ εὐημερούντων μέμνηται.* Cur enim addidit *οὐ μάκρῳ*, nisi Magnesiam ab eadem Cimmeriorum turba deletam putavit, quae Sardes ceperat teste Callino? Neque vero haec eo exposui, ut verissimam Strabonis sententiam impugnarem, nec potius indicandis, quibus laborat, difficultatibus ad easdem tollendas viam munirem. Sed ante omnia videamus, num quid melius sit allatum recenti memoria. Nam veteres satis iam intelligitur rem ad liquidum non perduxisse, recteque dixisse Horatium: *adhuc sub iudice lis est.*

Iam si quaeris, quid cunctis commune sit nostra aetate viris eruditis, sumunt omnes, quos equidem novi, (nam G. S. Falbium, qui in Kochii Eurynome Callinum ad Croesi scilicet et Cyri tempora relegasse fertur, et G. Suendrupium, Danum, fateor me non legisse) sumunt igitur, veram et per se certam eorum esse sen-

tentiam, qui Callinum Archilocho antiquiorem esse censebant. Nemo tamen tam confidenter damnavit Athenaeum, quam nuper Liebelius ad Archil. Reliq. p. 202. seq. qui pronunciare non dubitavit, Athenaeum memoria lapsum esse, vel falsa narrare. Immo non satis accurate proposuit vel potius secutus est summorum sententiam grammaticorum, non veram quidem illam, sed tam speciosam, damnare eam ut Horatius non fuerit ausus. Haec igitur non est spernenda, sed refellenda, id quod recte fieri nonnisi firmanda contraria Strabonis sententia potest. Qam quum omnes, ut dixi, per se certam nullisque difficultatibus impeditam putarint, haud equidem mirarer, si hanc tueri nemini non supervacaneum visum esset. Fuere tamen, qui aliunde conarentur ostendere, Callinum vixisse circa initia Olympiadum, ideoque aliquanto antiquiorem fuisse Archilocho, quem constat vixisse aequalem Gygis. Callinum elegiaco metro scripsisse historiam sui temporis; cui tribuendum esse versum illum a Strabone prolatum:

νῦν δ' ἐπὶ Κιμμερίων στρατὸς ἔρχεται ὀμβριμοέργων.

Ab his Cimmeriis auctore eodem Callino esse Sardes occupatas. Atqui Orosium I, 21. p. 79. ed. Havercamp. Cimmericam hanc irruptionem ad annum ante Romam conditam referre tricesimum, qui quidem in Olympiadum initia incidat. Ergo hoc tempore floruisse Callinum. Ita de aetate Callini Souchaeus disputat in Comment. Acad. Inscript. Paris. T. VII. p. 365. e Pezrono, chronologo tum celebri, nunc dudum exploso. Souchaeum sequitur Conr. Schneiderus in Stud. Heidelb. Vol. IV. p. 13, ne dicam Rohdium de Vet. Poetar. Sapient. Gnom. p. 271, adeo negligentem, ut ne inspexerit quidem ipsum Orosium. Mittam iocularem errorem de Callini historia sui temporis. Sed quantula est de re omni Orosii auctoritas! Nec docuerunt viri docti, Orosium, qui Sardes ne verbo quidem captas commemorat,

non loqui de alia quadam Cimmeriorum incursione. Nam saepe Cimmerii in Asiam invaserunt, quod vulgo ignoratum unus omnium, ni fallor, coniecit Volneius in Chronol. Herodoti p. 75. Sed coniectura non opus erat, quum ad liquidum res posset perduci e Strabone, I. p. 61 (106).

Haud paullo gravior H. Dodwelli, praestantissimi viri, sententia est, prodita in Exercit. II. de Aetate Pythag. p. 109. seq. Et is quidem huc refert Herodoti locum de Ardye, Lydorum rege, I, 15: *ἐπὶ τούτου τε τυραννεύοντος Σαρδίων Κιμμέριοι ἐξ ἠθέων ὑπὸ Σκυθέων τῶν νομάδων ἐξαναστάντες ἀπικέατο ἐς τὴν Ἀσίην, καὶ Σάρδις πλὴν τῆς ἀκροπόλιος εἷλον.* Quem locum cum Strabonis et Clementis sententia ita conciliare studuit, ut Archilochum aequalem faceret Simonidis Leoprepidae, provocans ad verba Clementis: *Σιμωνίδης μὲν οὖν κατὰ Ἀρχίλοχον φέρεται.* Sed Archilochum aliunde constat aequalem fuisse Gygis; ut appareat, ibi esse de Simonide Amorgino, iambographo, cogitandum, de quo recte Clementis verba accepit Liebelius in Comment. de Vita et Script. Archil. III. p. 10, siquidem iste Simonides circa Gygis aetatem vixisse fertur. Quodsi Callinum sub Ardye, Gygis successore, fuisse Dodwello concesseris, credendum erit, Archilochum Callino antiquiorem, ideoque inventorem esse elegiae, quippe cuius inventio alterutri sit necessario tribuenda. Sin quis dicat, floruisse quidem Archilochum Gygis temporibus, sed Ardyis attigisse aetatem, Callinum autem fortasse senem fuisse tum, quum Cimmerii Ardye regnante Sardes expugnarent: hoc saltem nemo negabit, istam Sardium occupationem post mortem Archilochi esse ponendam, quascunque de utraque rationes inieris, ideoque repugnare certe illud rationibus Dodwelli, quod Strabo et Clemens affirmant, Magnetum excidium, Callino ignotum, ab Archilocho commemorari. Neque profecto

senile est, ubi cives ad defensionem adversus Cimmerios excitat, Callini fragmentum. Non igitur Boettiger in Att. Mus. Vol. I. Fasc. II. p. 338. sequi debebat Dodwelli de aetate Callini iudicium, ac nihilo secius elegiam a Callino inventam putare. Sed deinde revertar ad hanc Angli sententiam, quae nititur in corrupto Strabonis loco, nunc quidem nova via Callini aetatem indagaturus. Quaeram enim, quo pacto comparata sit haec ad aetatem Tyrtaei, quem constat Archilochi fuisse aequalem.

Tyrtaeo autem haud paullo antiquiorem fuisse Callinum necesse est, quum ille, quem cognita habuisse Callini carmina manifestum est, Atheniensis fuerit, neque potuerit tam antiquis temporibus, ubi nulla fere inter Graecos Europaeos et Asiaticos erat coniunctio, Callini carmina vivente adhuc auctore, aut etiam paullo post mortem eius, cognoscere. Sed ipsum illud, in quo vertitur hoc argumentum, Tyrtaeum in Attica esse natum, negari video a Boettigero ibid. p. 336, qui nunc putat pro comperto haberi posse, Milesium fuisse Tyrtaeum, improbante Mansone in Sparta Vol. I. Part. II. p. 284. seq. probante, praeter Conr. Schneiderum, Rohdio de Vet. Poet. Sapient. Gnom. p. 272, et Astio in libro Germanice de philologia scripto p. 90. Non vacat quaerere, quis hoc ante Boettigerum sit docere conatus: dictum iam ante reperio a Koeppenio in Anthol. Gr. T. III. p. CXXI. Hoc scio, pro ista opinione nihil aliud posse afferri, quam Suidae locum: *Τυρταῖος — Λάκων ἢ Μιλήσιος* etc. auctoris profecto ibi tantum probati, ubi sequitur probatos auctores, et locum quidem hoc magis etiam suspectae auctoritatis, quod Lacedaemonium non fuisse Tyrtaeum cuique obvium est. Ac Lacedaemonium fecisse videtur inscitia infima aetate hominis, lecto forte hoc Tzetzae loco, Chil. I, 26: *Τυρταῖος Λάκων στρατηγὸς καὶ ποιητὴς ὑπῆρχεν*, aut aliquo

simili. Et credere par est, neque graviorem fuisse caussam, qua alter ille, quem Suidas sequitur, sit permotus, ut eundem putaret fuisse Milesium, quum praesertim vel hoc, quod elegias Ionica dialecto apud Lacedaemonios fecit Tyrtaeus, facile potuerit grammaticum quendam hunc in errorem inducere, ut natum in Ionia opinaretur. Sed post dicendum de dialecto. Potuit etiam is, qui Milesium fecit nostrum Tyrtaeum, hunc cum alio nescio quo perturbare: quanquam unus tantum, quod sciam, praeter hunc nostrum Tyrtaeus commemoratur, musicus Mantinensis, apud Plutarchum de Musica p. 1137. Atqui omnes consentiunt, Lacedaemonios in bello secundo Messeniaco ex Apollinis responso Tyrtaeum ab Atheniensibus ducem tulisse; et controversum fuit hoc unum, ex quonam esset profectus Atticae loco. Quaero igitur, an credibile sit, Athenienses dedisse hospitem Lacedaemoniis ducem. Visum est ita Boettigero; et erunt fortasse, qui veteres, quum Atheniensem Tyrtaeum fuisse dicerent, rem ex hoc ipso, quod ex Attica venerit, temere conclusisse sibi persuadeant. Sunt autem veteres illi Lycurgus Orat. in Leocratem, ubi Tyrtaeum inter maiores Atheniensium refert, et hoc etiam antiquior Plato Leg. I. p. 629, ubi eundem *φύσει μὲν Ἀθηναῖον* dicit, *τῶνδε δὲ πολίτην γενόμενον.* Taceo enim Eusebii aliorumque loca, quibus addi potest scholium ad verba Platonis collect. Ruhnken. p. 219: *Τυρταῖος οὗτος Ἀθηναῖος ἐγένετο* etc. et paullo post p. 220: *πρὸς Ἀθηναῖον — τὸν Τύρταιον,* etc. Platonem vero si conclusionem tantummodo de Tyrtaei patria fecisse, nec potius veterem famam secutum esse credideris, omnino sic statuendum erit, ipsius aetate nullam omnino de patria illius famam superfuisse, neque igitur de hac quidquam posse constitui. Proinde vel sic incerto homini, quem Suidas ob oculos habuit, credi minime poterit, Milesium fuisse Tyrtaeum. Nos Plato-

nem, gravissimum sane, si quem alium, auctorem sequamur, donec Boettiger diversam hinc suam sententiam idoneis argumentis munierit, quod ut fieri queat, magnopere vereor. Iam vero si Atheniensis fuit Tyrtaeus, confido neminem fore, qui repugnet, quin iure ex hoc ipso effecerim, eundem Callino, cuius cognitas habuit elegias, aliquanto esse posteriorem, quandoquidem tam antiquis temporibus haud exiguo, ut dixi, temporis spatio opus erat, ut carminum illorum notitia ad Athenienses perveniret. Nam iter fecisse Tyrtaeum ad Ephesios, ibique ipsum forte canentem audisse Callinum, fingi omnino potest, sed nullum ne levissimum quidem talis itineris vestigium indicari.

Addam aliud argumentum etiam maioris momenti ex ipsis reliquiis utriusque poetae, quarum curiosa et subtilis existimatio Callini fragmentum Tyrtaei reliquiis multo antiquius esse docet. Sed haec comparatio priusquam certa ratione potest institui, videndum est ante omnia, ne quis de ipsarum *αὐθεντίᾳ* reliquiarum scrupulus relinquatur. Nam saepius est dubitatum, an genuinum non sit Callini fragmentum; nuper etiam, an Tyrtaei reliquiae.

Exstant autem, ut a Callino capiamus initium, apud Stobaeum Serm. XLIX. aliquot versus, ex bellica quadam elegia depromti, ibique tribuuntur Callino. Eandem elegiam Ioach. Camerarius in Oratione de Bello Turcico Callimacho assignabat, non quo fragmentum Alexandrino quam antiquo Ephesio poeta dignius arbitraretur, sed sola, ni fallor, nominis similitudine deceptus, quum Callinum, ut videtur, aliunde cognitum non haberet. Neque ullam vir summus huiusce sententiae participem nactus est. Ceterum ipse de carminis virtute poetica tam honorifice sentiebat, ut hoc potissimum uteretur fragmento, quo principes Christianos ad bellum Turcicum incitaret. Alia erat de auctore huius

fragmenti sententia H. Stephani, a quo quidem insertum est Tyrtaei reliquiis, hac addita inscriptione: *Τοῦ αὐτοῦ ἢ Καλλίνου.* Qua in re nihil, ut arbitror, habebat, quod sequeretur, nisi similitudinem eius cum Tyrtaei reliquiis, idem Strabonis immemor, qui loco ante allato, XIV. p. 647. (958.) seq. Callinum et ipsum bellicum fuisse poetam significat, adeoque ex bellica eius elegia profert versum, quo versu mox utendum nobis erit ad fragmentum illud vindicandum Callino. Stephanum, ut fit, alii sunt secuti, enumerati a Klotzio ad Tyrtaeum p. 99, qui et ipse fragmentum inter Tyrtaei reliquias exhibuit. Brunckius tamen in Anal. T. I. p. 59. et iterum in Gnom. Poet. Gr. p. 58. aliique non pauci, quos nihil attinet recensere, idem Callino tribuunt ex auctoritate Stobaei. Et hoc fecit Koeppenius quoque in Anthol. Gr. T. II. p. 3, sed dubitanter; quae ratio haud contemnenda, et nescio an etiam amplectenda esset, si tota quaestio re vera a Stobaei auctoritate penderet. Sed ecce, Harlesius in Anthol. Gr. Poet. p. 40. ed. nov. a Klotzio suo discedens, de eodem fragmento: *Quisquis auctor est*, inquit, *imitatio Tyrtaei esse videtur.* Immo ex ipsa et Tyrtaei reliquiarum et huius fragmenti natura et ingenio demonstrari potest, hoc illis haud paullo esse antiquius. Nunc primum certam temporis notam in hoc ipso fragmento seu potius in versu indicabo, qui huic fragmento e Strabone debet restitui.

Est autem hic versus idem ille, quem ante iam attuli:

Νῦν δ' ἐπὶ Κιμμερίων στρατὸς ἔρχεται ὀμβριμοέργων,

a Strabone ex bellica Callini nostri elegia desumtus. Quem versum si paullo attentius intuemur, apertum est, talem sententiam bellico carmini non convenire, nisi ante poeta, quoniam simplex narratio in eiusmodi carmen non cadit, desidiam civibus et ignaviam expro-

brarit, quum tamen strenua defensione cum maxime opus sit, hoc autem versu describere incipiat periculi magnitudinem, civesque monere, pugnandum esse contra Cimmerios, validum populum et ferocem. Atqui alterum fragmentum incipit hac ipsa sententia, qua nondum finita desunt nonnulla. Quamobrem iam nunc equidem nullus dubito, quin sit ita scribendum:

Μέχρις τεῦ κατάκεισθε; κότ' ἄλκιμον ἕξετε θυμόν,
ὦ νέοι; οὐδ' αἰδεῖσθ' ἀμφιπεριοκτίονας,
ὧδε λίην μεθιέντες; ἐν εἰρήνῃ δὲ δοκεῖτε
ἧσθαι· ἀτὰρ πόλεμος γαῖαν ἅπασαν ἔχει.
νῦν δ' ἐπὶ Κιμμερίων στρατὸς ἔρχεται ὀμβριμοέργων
* * * * * * * *
* * * * * * * *
καί τις ἀποθνήσκων ὕστατ' ἀκοντισάτω, etc.

Non sum ignarus, totum fragmentum ob omnibus, qui Callinum auctorem existimant, ad bellum contra Magnetes referri. Verum e superioribus facile intelligitur, pertinere fragmentum, siquidem sit Callini, necessario ad bellum adversus Cimmerios, etiamsi omiseris versum illum e Strabone suppletum. Nam quum Cimmerios totam fere Asiam occupasse Sardesque cepisse hoc ipso tempore, quo carmen istud Callinus composuit, ex ipso, ubi exstat versus, Strabonis loco compertum sit, tum vero Magnetes non invasisse docui in agrum Ephesinum, sed aegre impetum Ephesiorum hactenus repressisse, ut ab iis non penitus subigerentur. Atqui in hoc nostro fragmento ad defensionem spectare omnia, praecipue e v. 4. perspicuum est:

— *ἀτὰρ πόλεμος γαῖαν ἅπασαν ἔχει.*

atque ex his v. 6. seqq.

τιμῆέν τε γάρ ἐστι καὶ ἀγλαὸν ἀνδρί, μάχεσθαι
γῆς πέρι καὶ παίδων κουριδίης τ' ἀλόχου
δυσμενέσιν· — — —

ut appareat, de bello ab Ephesiis illato Magnetibus co-

gitari nullo modo posse, ac necessario esse fragmentum ad defensionem contra Cimmerios referendum. Nam plura bella Callini temporibus non gesserunt Ephesii. De lacuna sic statuo. Inter versum e Strabone suppletum et proximum plura interciderunt, in quibus primum poeta hostium atrocitatem ac periculi magnitudinem luculentius exposuerat, Sardium quoque a Cimmeriis iam expugnatarum in hoc ipso, ni fallor, sententiarum nexu facta mentione. Unde redierat ad civium animos ab inertia ad alacritatem revocandos, et inflammandos ad strenuam defensionem contra hostem acerrimum, et ita quidem, ut cresceret usque oratio, ipsaque difficultate, qua vulgus hominum a subeundis periculis absterreri solet, augere poeta civium animos conaretur, sicut Horatius:

fortiaque adversis opponite pectora rebus.

Sic demum perspici potest, qui fiat, ut, quum initio civium carpat socordiam, mox v. 6. seqq. τιμῆέν τε γάρ ἐστι etc. gloriam fortium virorum ignominiae opponat imbellium, qui quum fugiant armorum strepitum, mortem tamen effugere nequeant; nempe eo consilio, ne periculo cives a virtute deterreantur potius, quam excitentur. Quid multa? Apparet, versum illum e Strabone supplendum esse, ideoque de auctore carminis Stobaeo Strabonem accedere testem, carmen autem ad bellum Cimmericum pertinere, ac propter hoc ipsum, nisi forte de falsario cogitaris, quod nemini unquam in mentem venit, auctori tribuendum esse Callino.

In toto autem fragmento nihil otiosum (discedo enim ab interpolatione paullo post indicanda), nihil alieno loco, nihil denique ita positum reperio, ut Callino non esse dignissimum videatur, sive consilium poetae, sive res, sive verba spectes et formulas loquendi, sive numeros omnemve orationis colorem et habitum. Levis est enim et nullius momenti dubitatio, quam illic

iniecit Harlesius de vocabulo ἀμφιπεριϰτίονες v. 2. Nimirum quum eam huc traxisset nominis significationem, qua ἀμφιπεριϰτίονες Lacedaemonii dicuntur, cuiuscunque fuerint urbis Laconicae cives, praeter primariam, Spartiatarum imperio parentes, docente Valckenario ad Herodot. IX. p. 696, sic pergit: *Quae significatio propria si menti obversata est poetae, elegia haec ad alium quemcunque Alexandrinum forsan Tyrtaei imitatorem potius, quam ad Callinum, Ephesios suos ad fortitudinem animumque capiendum excitaturum, referenda videtur.* Non dico, vel sic tribui posse hanc elegiam eodem iure ipsi Tyrtaeo, atque alicui eius imitatori. Sed omnino hoc est τὸ ζητούμενον συναρπάζειν. Undenam, obsecro, cognovit Harlesius, menti poetae obversatam esse peculiarem istam, quam propriam dicit, vocabuli significationem? Illud satis superque, ut opinor, demonstravi, versum, ubi Cimmerii memorantur, e Strabone esse supplendum. Fac igitur, nostrum fragmentum non esse Callini. Tum sane conditum erit e Callini, non e Tyrtaei persona; nisi forte Cimmerii in Laconicam invaserunt. Ergo, utcunque sit, ἀμφιπεριϰτίονες hic nihil aliud esse possunt, quam omnino περιοιϰοῦντες. Simillimus, quem in Klotziana farragine Harlesius videre poterat, locus Homeri est Odyss. β, 65. seq.

ἄλλους τ' αἰδέσθητε περιϰτίονας ἀνθρώπους,
οἳ περιναιετάουσι· —

ubi scilicet sermo non est de Lacedaemoniis.

Paullo graviorem dubitationem movent ἡμίθεοι v. 19, qui quidem sunt Hesiodeae aetatis, neque videntur in Callinum cadere, siquidem is proximus fuit Homero; id quod conati sumus pluribus argumentis ostendere. Locum apposui a v. inde 16:

ἀλλ' ὁ μὲν οὐϰ ἔμπης δήμῳ φίλος οὐδὲ ποθεινός·
τὸν δ' ὀλίγος στενάχει ϰαὶ μέγας, ἤν τι πάθῃ·

λαῷ γὰρ σύμπαντι πόθος κρατερόφρονος ἀνδρός,
θνήσκοντος· ζώων δ', ἄξιος ἡμιθέων.
ὥσπερ γάρ μιν πύργον ἐν ὀφθαλμοῖσιν ὁρῶσιν·
ἔρδει γὰρ πολλῶν ἄξια μοῦνος ἐών.

Quibus in versibus aliam etiam affert molestiam *γάρ*, ter positum duobus in distichis, quam quidem tollere Brunckius voluisse in Analectis videtur, scribens v. 18: *λαῷ μὲν* etc. nescio unde, ad vulgatam tamen postea reversus in Gnomicis. Et est sane caussalis particula melior saltem, quam istud *ἀσύνδετον*. Sed hoc levius. Maioris momenti illud est, quod haec v. 18. seq.

λαῷ γὰρ σύμπαντι πόθος κρατερόφρονος ἀνδρός,
θνήσκοντος· — —

eadem sunt, quae versu proximo dicta iam fuerant, et exquisitius quidem, his verbis:

τὸν δ' ὀλίγος στενάχει καὶ μέγας, ἤν τι πάθῃ.

quodque haec v. 19:

— ζώων δ' ἄξιος ἡμιθέων.

parum respondent antecedentibus; ne multa, quod totum distichum non caussam, quam exspectare cogit caussalis particula, sed partim rem ipsam, partim novum aliquid adeoque oppositum alteri pro caussa continet. Sin quis *γὰρ nempe* fuerit interpretatus, vel sic prior distichi pars otiosa erit, posterior aliena. Quid ergo? An propterea carmen Callino abiudicetur? Absit; non carmen, sed distichum istud:

λαῷ γὰρ σύμπαντι πόθος κρατερόφρονος ἀνδρός,
θνήσκοντος· ζώων δ', ἄξιος ἡμιθέων.

quod vix dubito quin sit a rhapsodo adiectum. Quippe a rhapsodis carmina esse elegiaca non minus, quam epica, antiquitus recitata, notum est ex Chamaeleonte apud Athenaeum; quanquam eius rei nemo adhuc fecit usum ullum ad emendanda carmina. De Tyrtaeo quae huc pertinent, seorsum persequar. Omisso autem, de

quo nunc agitur, disticho, nihil desiderabis. *Lugent,* inquit poeta, *mortuum virum fortem, propter hoc ipsum, quod venerantur viventem.* Sufficit igitur γὰρ v. 20. ad iuncturam recte faciendam. Sed interpolatori haec paullo difficilior visa est, quae caussa rhapsodo erat idonea ad distichum de suo addendum.

Venio ad Tyrtaeum, cuius disticho quodam allato, tanquam auctoris fragmentorum, quae Tyrtaeo tribuantur, haec Frid. Thierschius addidit in Specim. edit. Sympos. Platon. p. 39: *Nam Tyrtaeo ea falso tribui, alias et certissimis, puto, argumentis demonstrabo.* Nolo quaerere, quaenam haec sint argumenta, quae certissima potuerint videri Thierschio; nam ipse postea in Actis Philol. Monac. T. I. Fasc. II. p. 214. tacite cessit de sententia: quae res de argumentis illis certissimis utique movet non incertam suspicionem. Quum tamen multa sint in Tyrtaei reliquiis, quae eas non spurias quidem, sed valde tamen interpolatas variisque omnino vitiis contaminatas ostendant: de forma earum pristina seorsum disserere, ipsasque emendatas ponere visum est. Hic erit satis pauca dixisse de Ionica dialecto, qua compositum est, quidquid superest Tyrtaei; quae res iam Boettigerum male habuit in Att. Mus. Vol. I. Fasc. II. p. 337: quanquam is non ipsa fragmenta abiudicavit Tyrtaeo, sed mutatam tantum dialectum putavit. Quod quomodo fieri non in quibusdam verbis potuerit, aut etiam paucis in versibus, sed ubique per omnia fragmenta a variis allata scriptoribus, non intelligo: neque ullum, opinor, certum huiuscemodi corruptionis exemplum reperitur. Certum inquam, ne quis mihi opponat Ocellum Lucanum, de quo quid sentiam, exponere longum est. Sed falsum est, Tyrtaeum apud Lacedaemonios uti non potuisse dialecto Ionica. Quid enim? Si patria usus est dialecto, haec fuit Ionica, siquidem Tyrtaeus non Milesius quidem, sed Atheniensis erat,

Athenienses autem ipsius aetate Ionice loquebantur. Notum est enim, Solonis adhuc temporibus inter Atticam et Ionicam dialectum nihil fere fuisse discriminis, imprimis ex praeclara Bentleii disputatione, Resp. ad Boyl. p. 375. seq. Verius tamen dixeris, servari debuisse a Tyrtaeo dialectum ante a Callino in eodem genere usurpatam, etiamsi haec patria ipsi non fuisset. Etenim postea quoque elegiaca carmina eadem hac dialecto Ionica semper componebantur, exceptis epigrammatis, aliisque duobus huius metri carminibus. Et epigrammata quidem primum Sappho fecit dialecto Aeolica, sibi patria, perinde ac melica carmina sua; deinde huius exemplum secutus Simonides cognata Dorica, qua ipse in lyricis carminibus utebatur, isque tum fere, quum scripsit illa Lacedaemoniis. Elegiarum altera est Euripidis illa in tragoedia Andromacha, quae quum arcte cohaereat cum choro, qui sequitur, in illa eandem poeta, quam in choris usurpant tragici, praetulit dialectum, Doricae similem. Altera est Callimachi Lavacrum Palladis, Dorice scriptum, ut recte monuit Anna Fabri, in gratiam Argivorum. Quaerant alii, num, si essent Doricae, ut non sunt, elegiarum Tyrtaei reliquiae, hoc istis defendi posset exemplis. Ego unum hoc aio, Ionicam dialectum in Tyrtaei elegis neminem debere offendere, eumque ex solenni more elegiacorum poetarum debuisse etiam uti hac dialecto. Dicat quispiam, necessitate coactum fuisse Tyrtaeum, ut Dorica uteretur, quamvis et peregrina et aliena a genere elegiaco, si vellet intelligi a Lacedaemoniis. Sed is cogitet velim, iam ante Tyrtaeum Homerica carmina a Lycurgo ad Lacedaemonios esse translata, et conferat, si placet, recte utentem hoc argumento Conr. Schneiderum in Stud. Heidelb. Vol. IV. p. 19. Rem enim cave credas a Lacedaemoniis fictam, ne Lycurgum suum hac parte ab Atheniensium legislatore superari paterentur.

Tale quid, ne quis erret, ab Atheniensibus exspectari potest, a Lacedaemoniis non item.

Iam, puto, accedere licet ad ipsam reliquiarum Callini atque Tyrtaei certam et accuratam comparationem, ad illiusque aetatem inde non dico ad amussim describendam, quod omnino nec potest fieri, neque, si posset, ad solvendam quaestionem de origine elegiae aut necessarium esset, aut etiam utile, sed hactenus tamen constituendam, ut appareat, Callinum haud paullo antiquiorem Tyrtaeo, neque igitur inventorem elegiae Archilochum, huic aetate supparem, sed Callinum esse habendum. Quae comparatio quum recte fieri neglecta quaestione de reliquiarum γνησιότητι nullo modo potuisset, tum vero, hac praemissa, poterit certissima institui eademque facillima ratione, ac paucis absolvi. Sentio equidem, quam sit difficile, perspicere ac diiudicare poetarum ingenia ex tanta versuum paucitate: sed, ut est in proverbio, ex ungue leonem. Neque enim in comparandis utriusque ἀοιδοῦ reliquiis rimari animus est singula verba et loquendi formulas, sed spectabimus ipsam carminum naturam et ingenium, quae scilicet non alia in Callino atque in Tyrtaeo putat elegantior, quae vult videri, natio philologorum.

Sunt sane, si a Tyrtaei *Εὐνομίᾳ* discesseris, bellica utriusque poetae carmina: sed est summa in tractando eodem hoc argumento diversitas. In Callini fragmento ad praesens periculum relata omnia; nulla imperia, monita aut praecepta generatim proposita. Neque laudes virtutis et ignaviae exprobratio summam carminis efficiunt, sed adhibentur tantummodo, ne descriptione periculi absterreantur potius cives, quam excitentur. Nec minus in re praesente versabatur carmen, ubi Teucrorum factam mentionem Strabo invenit, deinde carmina, ubi Ephesios ad aggrediendos Magnetes excitabat poeta, opulentos illos et luxuria diffluentes, tum

Λόγος πρὸς Δία, denique carmen, ubi Lygdamin, ut mox videbimus, Trerum ducem commemorabat. Contra apud Tyrtaeum ad fortitudinem extollendam, ad celebrandum fortium virorum honorem et gloriam, ad ignominiam et quaecunque ignaviam mala sequuntur, ad turpitudinem iuvenum, qui in pugna deserant senes, ad imperia, quorum magna pars post Fragm. I. (vulgo II.) extr. excidisse videtur, et si qua similia sunt, omnia diriguntur; nisi quod semel et breviter afflictos Lacedaemoniorum animos recordatione stirpis ortae ab Hercule, et fiducia in praesidio Iovis invicti, Heraclidarum patroni, ponenda reficere poeta atque erigere conatur, quodque alibi imitandam Lacedaemoniis proponit maiorum suorum bellandi pervicaciam, qua subegerint vicesimo tandem anno Messenios, ab iisque ipsorum pertinaciae sumserint ultionem. Nae talia si multa exstitissent apud Tyrtaeum, hunc potius, quam Rhianum, in descriptione belli ducem praecipuum sibi sumsisset Pausanias, tam diligens ille in consulendis Tyrtaei carminibus, ut ne istum quidem locum de priore bello neglexerit; ne dicam, eundem locum a Strabone etiam solum esse allatum. *Damnorum solatia*, quae Iustinus commemorat III, 5. in Tyrtaei reliquiis hodie nulla reperiuntur; et haec, si qua ab eorum, quae ad nos pervenerunt, natura ad deperdita valet conclusio, non tam in re praesente, quam in fortunae vicissitudine, in praedicanda constantia animi, in spe melioris fortunae, in ipsa virtutis commendatione, in iis denique argumentis versabantur, quae ad gnomicum genus prope accedunt. Certorum hominum fortitudinem vix unquam, certe non ita crediderim celebratam a Tyrtaeo esse, ut certis singulos laudibus persequeretur, quae essent cuiusque factis accommodatae, sed generatim saltem, ut versu fortasse, qui septimum nostra in editione locum obtinet:

αἴθωνος δὲ λέοντος ἔχων ἐν στήθεσι θυμόν,

qui tamen versus nescio an omnino exhortationi potius, quam encomio sit tribuendus. Cui sententiae minime adversatur Platonis illud, Leg. I. p. 629. B. C: Ὦ Τύρταιε, ποιητὰ θειότατε· δοκεῖς γὰρ δὴ σοφὸς ἡμῖν εἶναι καὶ ἀγαθός, ὅτι τοὺς μὲν ἐν τῷ πολέμῳ διαφέροντας διαφερόντως ἐγκεκωμίακας. Nam ibi, ne quis erret, omnis sententiarum nexus declarat, non de certis singulorum, sed de laudibus fortium virorum in genere loqui philosophum. In Eunomia, quantum ex paucis huius poesis frustulis iudicari licet, civile istud argumentum minus universe (fateor enim) videtur fuisse tractatum. Sed hoc ipsum argumentum, Soloni simile, mirifice confirmat ea, quae modo dixi de bellicis Tyrtaei carminibus. Omnino elegiae Tyrtaei, tam bellicae quam civiles, opportunitatem dedere ad gnomicum elegiarum genus colendum eadem ratione, qua carminum gnomicorum omnium in Hesiodo semina latent.

Iam vero gnomicam ac didascalicam poesin consentaneum est ad philosophiam fecisse transitum, et antiqua carmina, ut ad gnomicum genus proxime accedebant, ita aetate proxime a Solonis et reliquorum, qui septem sapientes vocantur, temporibus afuisse. Ergo Tyrtaeus multo posterior fuit Callino. Archilochus autem quum Tyrtaeo suppar aetate fuerit, apparet, non huic, sed longe antiquiori Callino, inventionem esse carminis elegiaci tribuendam.

Hoc genus argumentorum perinde atque alterum illud poterit etiam ad constituendam Hesiodi aetatem transferri, siquidem is Homerica carmina Ascrae non potuit nisi diu post Homerum cognita habere, Hesiodi autem Opera et Dies indole sua gnomicae simili magis etiam ab Odyssea, quam haec ab Iliade, discrepant. Veterum iudicia de aetate Hesiodi non plus quam nostra valere, monuisse sat est. Medius fuit, nisi omnia fal-

lunt, inter Callinum et Tyrtaeum, cuius carmina illum gnomicum colorem duxisse videntur ex ipso Hesiodo. Cuiusmodi argumenta omnino sunt omnium certissima. Quum tamen haud paucos esse sciam, qui talium rationum vim minus sentiant, nunc, ut hos quoque vel invitos traham in sententiam meam, addam nonnulla de Sardibus a Cimmeriis occupatis deque Magnetum excidio, quibus Callinum Archilocho longe antiquiorem esse ita ostendam, ut dirimatur ipsa veterum controversia, nemoque sanus illa de re amplius dubitare queat.

Callinum ante vidimus Sardes memorasse ipsius aetate a Cimmeriis expugnatas, eoque a Dodwello vocatum esse locum Herodoti, ubi is Ardye Lydorum rege Sardes narrat a Cimmeriis esse captas. Quam ad sententiam confirmandam Callisthenis praeterea locum affert apud Strabonem, Alexandri aetate historiarum scriptoris, qui praeter alios libros *Τρωϊκὰ* scripserat, quae nollem Heynius, vir summus, Excurs. I. ad Virg. Aen. II. p. 300. tert. ed. particulam existimasset Graecae Historiae, illoque in libro videtur de rebus Lydiacis data opera exposuisse: hoc enim fieri solitum esse ab antiquis historicis propter coniunctionem rerum Troicarum et Lydiacarum, bene monuit Creuzerus, vir clarissimus, ad Hist. Gr. Antiq. Fragm. p. 196. Et Strabo quidem XIII. p. 627 (930): *φησὶ δὲ Καλλισθένης, ἁλῶναι τὰς Σάρδεις ὑπὸ Κιμμερίων πρῶτον, εἶθ' ὑπὸ Τρήρων καὶ Λυκίων, ὅπερ καὶ Καλλῖνον δηλοῦν, τὸν τῆς ἐλεγείας ποιητήν· ὕστατα δὲ τὴν ἐπὶ Κύρου καὶ Κροίσου γενέσθαι ἅλωσιν.* Qui locus (quis neget?), si integer esset, Dodwelli sententiam satis firmaret. Est enim una eademque Sardium expugnatio, quam Herodotus Cimmeriis, Callisthenes Treribus Lyciisque tribuit, ultima ante Cyrum et Croesum. Neque cum Herodoto pugnat Callisthenes, quandoquidem Treres gens erat Cimmerica, ut auctor est idem Strabo XIV. p. 647 (958), his verbis: *ὑπὸ Τρήρων*

— *Κιμμερικοῦ ἔθνους*, etc. Eodem pertinet eiusdem Strabonis locus corruptus, I. p. 61 (106): *οἵ τε Κιμμέριοι, οὓς καὶ Τρήρωνας ὀνομάζουσιν, ἢ ἐκείνων τὶ ἔθνος, πολλάκις ἐπέδραμον τὰ δεξιὰ μέρη* etc. Ubi ante omnia *Τρῆρας* e codicibus reponendum pro *Τρήρωνας*. Quae corruptio sic nata videtur. Ad *ἐκείνων* quidam adscripsit *Τρήρων*, unde primum in Strabonis verba illatum est *Τρῆρων*, deinde *Τρήρωνας*. Sed gravior hic latet eaque antiquior depravatio. Treres enim, quippe Cimmerica gens, generali Cimmeriorum nomine appellari omnino poterant: non contra Cimmerii Trerum nomine; neque usquam hoc factum reperias. Scribendum: *οἵ τε Κιμμέριοι, οὓς καί, ἢ ἐκείνων τὶ ἔθνος, Τρῆρας ὀνομάζουσιν, πολλάκις ἐπέδραμον τὰ δεξιὰ μέρη* etc. Est haec correctio, et *ἢ* explicandum *vel potius*. Eadem diligentia Strabo Cimmerios et Treres semper distinguit, nec tantum eadem hac pagina: *Πολλάκις δέ*, inquit, *καὶ οἱ Κιμμέριοι καὶ οἱ Τρῆρες ἐποιήσαντο τὰς τοιαύτας ἐφόδους*· verum etiam ibidem Treres refert a Madye, Cimmeriorum rege, fugatos. Herodotum vero magis generatim loqui solere, ut nos quoque passim fecimus, ubi illa diligentia opus non erat, hoc igitur vel ex eo cernitur, quod regem Scytharum dicit eundem Madyem, quoniam Scythica gens erant Cimmerii, eumque Cimmerios tradit, hoc est Treres, gentem Cimmericam, ex Europa esse per Asiam persecutum. Non mirum igitur, unam eandemque Sardium occupationem, sub Ardye factam, ab Herodoto Cimmeriis, a Callisthene apud Strabonem Treribus tribui, quos hic a Cimmeriis ponit diversos.

Quaeret quispiam, annon his omnibus confirmari potius, quam infringi possit loci illius integritas, quaeque ab hac pendet, Dodwelli sententia, eandem istam Sardium expugnationem putantis a Callino esse significatam. Quae res sane habet aliquam speciem. Nam ipse Callinus Trerum iniecit mentionem in hemistichio

apud Steph. Byzant. v. *Τρῆρος,* ubi contra codices, quorum unus *Καλλίνῳ,* ceteri per compendium scripturae *κιω* exhibent, e Salmasii coniectura perperam est *Καλλιμάχῳ* editum:

— *Τρήρεας ἄνδρας ἄγων.*

receptum eodem errore inter Callimachi Fragmenta n. CCCXIV. collect. Bentl. Sed alium iam ante attuli versum eiusdem Callini, ubi pariter atque Herodotus Treres generatim vocat Cimmerios:

νῦν δ' ἐπὶ Κιμμερίων στρατὸς ἔρχεται ὀμβριμοέργων.

quod tantum abest, ut in poeta mirabile videri possit, ut contra historica Callisthenis diligentia, qua Treres a Cimmeriis semper discernit, in Callinum ne cadere quidem videatur. Quodsi semel tantum aut rarissime Trerum, plerumque Cimmeriorum nomine fuerit usus, facile intelligitur, quomodo eam Sardium expugnationem, cuius ipse fecerat mentionem, mox Callisthenes, memoriter haud dubie eum secutus, Cimmeriis potuerit assignare. Quodsi hoc loco urgere vellem argumenta, quibus Callinum iam nunc demonstravi Archilocho, Gygis aequali, multo esse antiquiorem, non dubitarem propter haec ipsa sic transponere locum Strabonis: *φησὶ δὲ Καλλισθένης, ἁλῶναι τὰς Σάρδεις ὑπὸ Κιμμερίων πρῶτον, ὅπερ καὶ Καλλῖνον δηλοῦν, τὸν τῆς ἐλεγείας ποιητήν, εἶθ' ὑπὸ Τρήρων καὶ Λυκίων· ὕστατα δὲ τὴν ἐπὶ Κύρου καὶ Κροίσου γενέσθαι ἅλωσιν.* Sed eandem correctionem omnia, quae hinc sequuntur ad finem usque totius disputationis nostrae, utique necessariam esse docent.

Redeamus autem ad hemistichium Callini e Stephano Byzantio modo prolatum:

— *Τρήρεας ἄνδρας ἄγων.*

Ubi qui Trerum dux commemoratur, quis dubitet, quin sit idem Lygdamis ille, quem Cimmeriorum ducem vocat Callimachus Hymn. in Dian. v. 251. seqq. templumque refert Dianae Ephesiae diripere minatum, sed deae

auxilio propulsatum esse et necatum? Sunt, qui credant, templum re vera a Lygdami esse combustum: sed recte Albertius ad Hesych. v. *Λύγδαμις* verbum *ἔκαυσεν* de conatu accepit. Neque alium auctorem, quam ipsum Callinum, Callimachus ob oculos habuisse putandus est. Eundem Lygdamin Sardes cepisse accepimus a Strabone I. p. 61 (106): *Λύγδαμις δὲ τοὺς αὑτοῦ ἄγων μέχρι Λυδίας καὶ Ἰωνίας ἤλασε, καὶ Σάρδεις εἷλεν· ἐν Κιλικίᾳ δὲ διαφθάρη.* Qui locus aperte declarat, Lygdamin cum manu sua non esse ex Asia exactum, sed in Cilicia exstinctum; nisi forte verbum *διαφθάρη* intelligas nonnisi de ducis interitu, et reliquam turbam non confectam, sed fugatam ex Asia. Atqui eam Cimmeriorum seu potius Trerum turbam, quae sub Ardye Sardes cepit, ex Herodoto constat ab Alyatte ex Asia esse expulsam. Itaque Lygdamis, a Callino haud dubie memoratus, non huius, sed primae illius magnae Cimmeriorum incursionis dux fuisse existimandus est.

Hanc vero primam Cimmeriorum magnam invasionem fama ponebat circa Homeri tempora. Strabo I. p. 6 (12): (*Ὅμηρος*) *τοὺς Κιμμερίους εἰδώς, — οἳ κατ᾽ αὐτὸν ἢ μικρὸν πρὸ αὐτοῦ μέχρις Ἰωνίας ἐπέδραμον τὴν γῆν τὴν ἐκ Βοσπόρου πᾶσαν.* et III. p. 149 (222): *καὶ γὰρ καθ᾽ Ὅμηρον ἢ πρὸ αὐτοῦ μικρὸν λέγουσι τὴν τῶν Κιμμερίων ἔφοδον γενέσθαι τῶν μέχρι τῆς Αἰολίδος καὶ τῆς Ἰωνίας.* Mitto Homerum, qui Callino antiquior simul et recentior esse potuit, siquidem collectivum est nomen Homeri. Sin vero antiquissima quaeque apud Homerum spectamus, haec nemo negabit aetatem referre Calliniana aliquanto antiquiorem. Sed hoc iam nunc nemo amplius negabit, Callinum Archilocho, Gygis aequali, multo esse superiorem, et hactenus omnino proximum Homero, quatenus propior nemo fuit. Ceterum nolo virorum doctorum de Cimmeriis errata commemorare. Dixisse sufficiat, Cimmerios maiores fortasse inter philologos, quam

in ipsa Asia, turbas excitasse; unumque potissimum errorem notasse Larcheri, optimi illius Herodoti interpretis, qui commemoratam binis his apud Strabonem locis Cimmeriorum incursionem distinxit quidem ille ab ea, cuius facta apud Herodotum mentio, sed ipso bello Troiano antiquiorem putavit, idque propter figmentum Euripideum de captivitate mulierum Graecarum, quas in Taurica Iphigeniae comites dederat, Iphig. Taur. v. 1076. (1106.) seqq. Quam ille sententiam prodidit ad Herodot. T. I. p. 183. seq. ed. nov. et hactenus etiam Volneium, adversarium suum, habuit assentientem, quatenus hic quoque ad veram ab Euripide Cimmeriorum invasionem, quanquam aliam, respici sibi persuasit, Chronol. Herodot. p. 75.

Sed veniamus ad Magnetum excidium. Contentio erat, ut ante vidimus, apud veteres, essetne mentio magnae Magnetum calamitatis ab Archilocho facta ad interitum eorum Callino ignotum, an ad superiorem aliquam cladem referenda. Sunt autem Magnetes ab Ephesiis clade affecti, exstincti a Cimmeriis vel potius Treribus, Cimmerica gente. Nec postea vetus urbs instaurata, ut vulgo putant, sed tamen nova condita, ibi autem, ubi fuerat olim Magnesia, relictum oppidulum, cui nomen *Παλαιμαγνησία*. Qua de re satis exposuit Prideausius ad Marm. Oxon. p. 44. seq. qui tamen non cogitasse videtur de Magnesia a Treribus deleta. Quodsi fides habenda esset Nicolao Damasceno Excerpt. Vales. p. 451, Magnesiam narranti a Gyge captam, quique integrum recepit, monente Kustero et Orellio, Nicolai locum, Suidae v. *Μάγνης, ἀνὴρ Σμυρναῖος*, vel hinc minime consequeretur, postea demum a Treribus Magnesiam esse eversam; non quin iniuria dubitasse videatur Creuzerus ad Hist. Gr. Antiq. Fragm. p. 202, sitne Magnesia ad Maeandrum, an ad Sipylum, intelligenda (ostendit enim Ruhnkenius ad Velleium p. 14,

de illa cogitandum esse, ubicunque Magnesia sine cognomine commemoretur), sed quia nova urbs iam tum poterat esse exstructa. Sed ne vera quidem est ista Nicolai fabula, quamvis ducta fortasse, ut opinatur Creuzerus ibid. p. 200. seqq. e Xanthi Lydiacis; nisi forte minus est tribuendum Herodoto, qui nulla dicit a Gyge bella nisi contra Milesios, Smyrnaeos et Colophonios gesta, hoc ipso nomine inertiam eius vituperans, I, 14. extr. Incertam censuit illam Sevinus in Comment. Acad. Inscript. Paris. T. V. p. 264, fide dignam Heynius in Comment. Antiquar. Germanice scriptis Vol. I. p. 114. et iterum in Opusc. Acad. T. V. p. 349: profecto vanam iudicare debebant. Quod quum ita sit, hoc minus etiam quidquam poterit ex isto commento concludi de tempore, quo a Treribus deleta Magnesia sit.

Sumit Burettus ibid. p. 254, hoc esse sub Ardye factum, ignorans, quod plerique omnes ignorant, saepe Cimmerios ac Treres in Asiam invasisse, idemque fidem temere derogat Plinio, cuius bina loca mox afferenda certissime demonstrant, dirutam a Treribus Magnesiam esse circa initium imperii Candaulis. Neque feliciter Buretti cum Plinio conciliatio cessit Heynio Opusc. Acad. l. m. ubi Magnetes, siquidem mentem viri satis sum assecutus, exstinctos vult esse a Treribus regnante Ardye, apud Plinium autem intelligit aliquam cladem priorem. Nam plura, ait, cum Lydis bella commemorari; quaenam, non addidit, nisi quod captam a Gyge urbem pronunciat, Nicolaum sectatus: ego nullum novi nisi contra Ephesios gestum. Ab his autem nulla sunt tanta clade affecti Magnetes, ut desinerent *κατορθοῦν* (verbis utor Strabonis ante explicatis) *ἐν τῷ πρὸς Ἐφεσίους πολέμῳ*. Atqui Plinius loquitur de Magnetum *excidio*, quod propter hoc ipsum non potest nisi ad funestam illam Trerum incursionem referri, quamvis

ab eodem Plinio alibi *proelium* dicatur. Est enim Magnetum excidium non urbis quidem eversio, sed civium tanta strages, nullae ut defensioni copiae remanerent, ea igitur caedes, quam subsequebatur ipsius urbis excidium. Eodem redit alia lectio: *pictura Magnetum exitii*, quam praeter necessitatem praetulit Boettiger Archaeol. Pict. T. I. p. 107, ignorans, excidium et hominum esse et urbium. Sunt autem Plinii loca haec, Hist. Nat. VII. s. 29: *Candaules rex Bularchi picturam Magnetum excidii mediocris spatii pari rependit auro.* et ibid. XXXV. s. 34: *Quid? quod in confesso perinde est, Bularchi pictoris tabulam, in qua erat Magnetum proelium, a Candaule, rege Lydiae Heraclidarum novissimo, repensam esse auro.* Quodsi Magnetum excidium ad Ardyis aetatem retuleris, neque tamen Buretti mentem induere velis, talem Bularchi tabulam ullam omnino fuisse negantis, ut fecit Meiners in Hist. Discipl. Gr. et Rom. Germanice scripta Vol. I. p. 40. seq. in eo saltem erroris argui Plinium oportebit, quod de excidio Magnetum, Treribus tribuendo, loquatur, quum sit de antiquiore proelio adversus Ephesios cogitandum. Sed caussam non video, cur tandem excidium illud Magnetum ad Ardyis potissimum aetatem sit referendum, neque aliam, cur huc a Buretto relatum, quam ipsam eius de crebris Cimmeriorum invasionibus ignorantiam. Quid? quod Magnesia ab ea Cimmeriorum vel, si mavis, Trerum turba, quae Herodoto auctore sub Ardye Asiam occupavit, ne potuit quidem everti. Memineris enim, post deletam Magnesiam, ut e Strabone ante vidimus, proximo anno agrum esse a Milesiis occupatum. Hos vero ex Herodoto constat, Cimmeriis nondum fugatis, per sex annos a Sadyatte, et deinceps per proximos quinque ab Alyatte, qui expulit istam Cimmeriorum turbam, esse vexatos. Atqui nequaquam est verisimile, cepisse eos, neglecta contra

Lydos defensione, agrum Magnetum, vixdum a Cimmeriis relictum, quum praesertim, narrante eodem Herodoto, omni Ionum carerent auxilio, Chiis tantum, quibus antea ipsi tulerant opem, exceptis. Contra circa initium imperii Candaulis copias habebant Milesii, quibus tenerent agrum, et otium, ut colerent a Cimmeriis devastatum. Quodsi nihil obstat Plinianae sententiae, alteram autem opinionem non modo nihil tuetur, sed etiam evertit haec Strabonis narratio de agro Magnetum postero anno a Milesiis occupato: necessario credendum est, quod in confesso esse Plinius dicit, in illa Bularchi tabula, a Candaule repensa auro, excidium expressum fuisse Magnetum. Rem vero a Bularcho pictam credibile est tum esse recens gestam, ideoque ad initium ferme Candaulis imperii revocandam.

Archilochum iam ante monui propterea, quod respexerit insignem Magnetum calamitatem, videri excidium eorum potius, quam superiorem aliquam cladem, significasse. Nunc vero idem non amplius probabile tantum, sed certum est, quoniam Gyges, cuius aequalis erat Archilochus, successor fuit Candaulis, Magnesia autem circa principium deleta Candaulis est. Ceterum noli quaerere, num conciliari possit cum his rationibus Clementis illud: *Μέμνηται γ' οὖν (Ἀρχίλοχος) καὶ τῆς Μαγνήτων ἀπωλείας, προσφάτως γεγενημένης.* Quid enim inest versui Archilochio, quod de nupera Magnetum calamitate cogitare cogat? Callinum autem eodem Magnetum interitu antiquiorem fuisse, adeo consentiunt omnes, hoc ut vel ii concesserint, qui Archilochum elegiae inventorem ferebant. Quare ex his etiam apparet, primam esse, quam Sardium expugnationem Callinus commemoravit, non secundam, excidio Magnetum aliquanto posteriorem.

Sed ulterius etiam licet procedere. Quaeritur enim illud, utrum ab eadem, quae Sardes ceperat aetate Cal-

lini, Cimmeriorum turba diruta Magnesia sit, quae erat Clementis sententia, an potius, ut Strabo existimabat, turba ea, quae Sardes cepit Callini memoria, alia fuerit et antiquior altera, ideoque Callinus Magnetum excidio non paullo, sed multo superior. Recte Strabo, ut illud ipsum declarat, quod aetas Callini in eam incidit incursionem, qua primum ad Sardes usque Cimmerii penetrabant. Hanc enim fama ponebat, ut ex ipso Strabone ante docui, circa Homeri aetatem, unde summam eius antiquitatem mihi videor non iniurią effecisse.

Quae quum ita sint, non patria Tyrtaei longumque spatium temporis, quo ad carmina Calliniana, Tyrtaeo Atheniensi cognita, ex Ionia in Atticam transferenda his tam antiquis temporibus opus erat, neque etiam elegiarum utriusque poetae natura et indoles, diversa pro dispari auctorum aetate, neutra igitur ex his rationibus sola ostendit, Archilochum, Tyrtaeo aetate supparem, longe posteriorem fuisse Callino: sed ipsa veterum, qui sic iudicabant, sumta ex Sardium Magnesiaeque historia argumentatio iam ita est corroborata, non modo ut anceps ea esse desierit, sed ut rem non minus demonstret certo, quam reliqua argumenta.

Quodsi est exploratum, esse Callinum Archilocho longe antiquiorem, videor mihi, quod intenderam, consecutus esse. Nam alterutrum elegiaci carminis inventorem habendum, vanamque opinionem esse eorum, qui prorsus obscuram pronunciant eius originem, iam ante docueram. Ostendi igitur, carmen elegiacum esse a Callino inventum; neque, ut spero, diutius de eius origine sub iudice lis erit.

APPENDIX.

Promisi me exploraturum Boettigeri, clarissimi viri, de origine elegiae ex cantu ad impares tibias repetenda sententiam, proditam in Att. Museo Vol. I. Fasc. 2. p. 293. seqq. et 335. seqq. ab aliis probatam illam, ab aliis reiectam, ab uno etiam aperte contemtam, sed a nemine dum, quod erat primo loco faciendum, satis examinatam. Solvam nomen, et ad rem statim veniam.

Verisimile videtur Boettigero, quod ipsi, quae eius sententia est de aetate Callini, falsum videri debebat, re vera tamen, ut nos demonstravimus, certissimum est, Callinum Ephesium, bellicum poetam, inventorem esse carminis elegiaci. Atqui Herodotus I, 17. de Alyatte, Lydorum rege: *ἐστρατεύετο δέ*, inquit, *ὑπὸ συρίγγων τε καὶ πηκτίδων καὶ αὐλοῦ γυναικηΐου τε καὶ ἀνδρηΐου*, ubi *αὐλὸν ἀνδρήϊον τε καὶ γυναικήϊον* recte Larcherus et Boettiger p. 334. seq. de tibia dextra et sinistra accipiunt. Hinc Boettiger colligit, Callini elegos, Ionicos ac bellicos, ad impares tibias, Lydiacas et itidem bellicas, cantatos esse videri, hexametrum ad *αὐλὸν ἀνδρηϊον*, quem vocat Herodotus, pentametrum ad *γυναικήϊον*, et refert illuc ingeniosum Herderi dictum, in Callini bellicis carminibus pentametrum quandam quasi viraginem esse, ad heroicum versum tanquam ad maritum deductam. Nec tantum metrum elegiacum cantu geminarum tibiarum arctissime coniunctum, sed ex hoc ipso enatum existimat, sive quod idem est, usu tibiae dextrae et sinistrae occasionem datam ad inveniendum metrum elegiacum, huius

tibiae cantui maxime consentaneum; et illud utrumque eo corroborare conatur, quod tibiam eandem putat postea quoque generis elegiaci propriam mansisse. At enim ultro patet, nihili esse qualemcunque illam similitudinem Herodoteae appellationis tibiae istius, ad sonum eius gravem et acutum ab ipso Boettigero recte relatae, cum Herderi dicto prope poetico de hexametro et pentametro in bellicis elegiis. Eodem iure provocare poterat vir eximius ad similitudinem nominis *imparium tibiarum* cum appellatione *imparium numerorum*. Sed his, quae, si iterum Boettiger in eandem hanc quaestionem incideret, haud dubie ipse esset retractaturus, iniquum est diutius immorari. Quod autem ad summam Boettigeranae sententiae attinet, verissimum est, quod monuit Conr. Schneiderus in Stud. Heidelb. Vol. IV. p. 13, cantum carminibus, non cantui poemata, accommodari, neque igitur novum aliquod genus poesis potuisse ab organo quodam musico et rhythmo huic praecipue congruo originem ducere. Eos enim non curo, qui semper clamant, cavendum esse, ne ea, quae propria sint nostrae aetatis, ad veteres transferas. Isti nimirum haec, quae propria sunt nostrorum hominum, cum iis, quae sita sunt in ipsa hominum natura, haud raro solent confundere. Male tamen Schneiderus addidit, e contrario forsitan usum tibiae dextrae et sinistrae ex elegia repeti posse. Nolo contra afferre, huius inventionem tibiae a Plinio Hist. Nat. VII, 57. Marsyae tribui; unde fateor nihil aliud quam summam eius, neque tamen maiorem, quam elegiaci carminis, incertam denique antiquitatem effici posse. Hoc dico, tibiam istam non solum ab origine carminis elegiaci, sed etiam a cantu elegiarum esse utique alienam. Quod si docuero, perspicuum erit, neutrius rei originem ex altera repeti posse. Sed referenda argumentatio nostra ad Boettigeri sententiam; qua penitus eversa Schneideri

error simul concidat necesse est. Ac primum si quaeris, cur magis ad geminas illas tibias, quam ad reliqua organa, simul ab Herodoto commemorata, Callini carmina elegiaca cantata esse putanda sint (haec autem aperte debet prima esse et praecipua quaestio): habet sane Boettiger, quod respondeat. Quis enim unquam dubitavit, quin tibia omnino propria sit elegiae? Et hoc est ipsum illud, quod postremo commemoravimus, argumentum a Boettigero pro sententia sua allatum. Quod etsi nequaquam sufficit ad rem probandam, quum praesertim aliud sit tibia in universum, aliud tibia dextra et sinistra, quam primus Boettiger et sine ulla caussa (nam de Ovidii loco quae sit suspicio mea, mox aperiam) elegiae propriam fecit: videtur tamen operae pretium esse, hoc quoque paullo diligentius examinare. Quid? quod contra, si isthaec opinio de tibia omnino elegiae propria, omnium illa communis, nihilo secius falsa est existimanda, hoc non modo scire per se est utilissimum, verum etiam Boettigeri sententiam magis fortasse, quam ulla alia ratio, convellit. Docebo autem, tibiam nec semper, neque etiam initio propriam fuisse carminis elegiaci, ideoque tantum abesse, ut huius origo possit ex usu tibiae dextrae et sinistrae repeti, ut ne illud quidem probabiliter affirmari queat, inventoris elegos omnino ad tibiam, nedum ad impares tibias, esse cantatos. Aliam quaestionem consulto adhuc praeterii, locusne Herodoti omnino huc trahi possit: id quod a Boettigero minime demonstratum, immo sine dubio negandum esse, posthac videbimus.

Quaeri potest, an per se credibile sit, totum aliquod genus poesis, praesertim elegiacum, tam varium illud et multiplex, unum aliquod organum sibi proprium habuisse, nedum elegos eodem semper modo, eoque ob perpetuam, qualem Boettiger sibi finxit, gravis et acutae tibiae alternationem satis languido, esse

cantatos. Sed historicam opinionem historicis argumentis refellere par est; quod facturus sum ita, ut hac de re exstare ostendam nullum antiqui scriptoris testimonium fide dignum.

Incipiam a Plutarchi loco, tam ab aliis, quam a Boettigero laudato p. 339, de Musica p. 1132. C. *οἱ δὲ νόμοι οἱ κατὰ τούτους, ἀγαθὲ Ὀνησίκρατες, αὐλῳδικοὶ ἦσαν ἀπόθετος, ἔλεγοι, κωμάρχιος, σχοινίων, κηπίων, Τενέδειος* (ex Amioti emend. pro *τε καὶ δεῖος*) *καὶ τριμελής.* Quo in loco ut sana sint omnia atque integra, vel sic cogitari poterit nonnisi de lugubri elegia, quam solam *ἔλεγον* Graeci vocant. Quanquam ne haec quidem, ut mox docebo, tibiam sibi propriam habuit. Sed est sane corruptus locus, et ita quidem, ut emendatus nullam omnino de cantu elegiarum conclusionem admittat. De nomis musicis praeter doctos interpretes Marmorum Oxoniensium, Seldenum et H. Aldrichium, qui hic Prideausii, musices imperiti, partes suscepit, expositum est a Ios. Scaligero, Salmasio, Ez. Spanhemio, Dorvillio, Buretto, Ilgeno et aliis, nec tamen ita, ut nova de iis disceptatio non sit optanda. Nobis pro instituto nostro ne ea quidem licet omnia persequi, quae ad nostrum Plutarchi locum penitus enucleandum et ad singula nomorum genera, quae ibi enumerantur, explicanda pertinent. Hoc scire velim, quomodo *ἔλεγοι,* etiamsi appellatio ista omnia *ἐλεγεῖα* complectatur, et nonnisi ad tibiam haec sint cantata, quomodo igitur *ἔλεγοι* dici omnino possint *νόμοι αὐλῳδικοί.* Nam convenit, ut opinor, in omni hoc loco musicam, non poesin, spectari (quanquam poemata quoque vix alia, quam hymni, *νόμοι* vocari possunt), et *νόμους* hic esse modorum genera quaedam; id quod vel ipsum vocabulum *τριμελής* luculenter declarat. Quae res magis etiam perspicua fit verbis haud procul ante positis: *καὶ γὰρ τὸν Τέρπανδρον ἔφη, κιθαρῳδικῶν ποιητὴν ὄντα νόμων, κατὰ νόμον*

ἕκαστον τοῖς ἔπεσι τοῖς ἑαυτοῦ καὶ τοῖς Ὁμήρου μέλη περιτιθέντα, etc. ubi nemo non videt varia genera *τῶν μελῶν*, hoc est modorum, *νόμους* vocari. Neque de hac re, quantum nunc memini, quisquam dubitat. Atqui nomen *ἔλεγος* ad poesin pertinet, non ad musicam; nec dubito, si elegi uno semper eodemque fuissent modorum genere sive nomo ad tibiam cantati, quin alio potius nomi huiusmodi elegiaci, quam ipso essent elegorum nomine appellati. Nullum enim praeterea nomorum genus nomen gerit e re poetica translatum. Quid? quod ex alio eiusdem Plutarchi loco, ibid. p. 1133. seq. perspicuum est, fuisse quidem *νόμον αὐλῳδικὸν* a Plutarcho elegis assignatum, sed huic nomen fuisse non *ἐλέγῳ*, sed *Κραδίᾳ*. Eodem paullo post nobis redeundum erit. Praeterea facile est intellectu, nomen *ἔλεγοι* vel propter pluralem numerum nostro in loco ferri non posse. Quid ergo? Noli dubitare, quin ab inepto librario inculcatum sit nomen. Nempe in antecedentibus sermo fuerat de Terpandro, Clona et Polymnesto, nomorum poetis, quos obiter Plutarchus elegiacorum quoque et epicorum carminum auctores fuisse narrabat. Huius autem rei obiter tantum factam esse mentionem, oscitantem librarium facile potuit praeterire, et ita fieri, ut elegos nomorum generibus, quae hic recensentur, annumerandos, et inculcando nomine *ἔλεγοι* supplendam scilicet Plutarchi sententiam esse putaret, praesertim quum vulgaris, ut post apparebit, iam apud veteres posteriore aetate esset opinio, lugubres elegos ad tibiam esse cantatos: ex quo illud etiam intelligitur, cur elegos tantum, non etiam *ἔπη*, nomis a Plutarcho enumeratis addiderit, itemque, cur *ἐλέγους* potius, quam *ἐλεγεῖα*, a Plutarcho ante commemorata. Quae quum ita sint, deleto nomine *ἔλεγοι* ita scribendum: *οἱ δὲ νόμοι οἱ κατὰ τούτους, ἀγαθὲ Ὀνησίκρατες, αὐλῳδικοὶ ἦσαν ἀπόθετος, κωμάρχιος, σχοινίων, κηπίων, Τενδεῖος καὶ τριμελής.* Proinde verum

est, quod ante dixi, ex hoc loco de cantu elegiarum nihil omnino posse concludi.

Alium locum, ubi affirmetur, carmina elegiaca unice esse ad tibiam, aut adeo ad tibiam dextram et sinistram cani solita, nullum reperias. Nam quod Boettiger dicit p. 296, etiam tum, quum poesis iam dudum a musica esset seiuncta, impares tibias generi elegiaco assignari, ubi Musae instar Elegia Romani poetae animo obversetur, hoc paullo obscurius dictum quale sit, fateor me non intelligere. Suspicor autem, si dicam, quod sentio, virum eximium memoriter respexisse ad versum Ovidii Amor. III, 1, 37:

Imparibus tamen es numeris dignata moveri,

ac memoriae lapsu de imparibus cogitasse non numeris, sed tibiis.

Provocat ibidem vir doctissimus ad locum Pausaniae de tibia lugubrium elegorum propria, ibi intelligens tibiam dextram et sinistram. At porro videbimus, veteres, qui lugubri elegiae tibiam tribuebant, de tibia non dextra et sinistra, sed de obliqua cogitasse. Fac tamen, lugubres elegias ad impares tibias semper esse cantatas. Num inde aut ad omnia, aut ad bellica, de quibus cum maxime quaestio est, inventoris carmina ulla valebit conclusio? Sed vel hoc mittamus. Falsum est illud ipsum, propriam fuisse tibiam lugubrium elegorum.

Pausaniae locus exstat lib. X. cap. 7. p. 814: *Δευτέρα δὲ Πυθιάδι οὐκ ἐπὶ ἄθλοις ἐκάλεσαν* (coniecit Facius sine ulla caussa *ἐσεκάλεσαν*) *ἔτι ἀγωνίζεσθαι, στεφανίτην δὲ τὸν ἀγῶνα ἀπὸ τούτου κατεστήσαντο· καὶ αὐλῳδίαν τε κατέλυσαν, καταγνόντες οὐκ εἶναι τὸ ἄκουσμα εὔφημον. ἡ γὰρ αὐλῳδία μελέτη τε ἦν αὐλῶν τὰ σκυθρωπότατα, καὶ ἐλεγεῖα καὶ θρῆνοι προσαδόμενα τοῖς αὐλοῖς. μαρτυρεῖ δέ μοι καὶ τοῦ Ἐχεμβρότου τὸ ἀνάθημα, τρίπους χαλκοῦς ἀνατεθεὶς τῷ Ἡρακλεῖ τῷ ἐν Θήβαις. ἐπίγραμμα δὲ ὁ τρίπους εἶχεν· Ἐχέμβροτος Ἀρκὰς ἔθηκε Ἡρακλεῖ νικήσας τόδ᾽ ἄγαλμ᾽ Ἀμφικτυόνων*

ἐν ἄθλοις, Ἕλλησι δ' ἀείδων μέλεα καὶ ἐλέγους. κατὰ τοῦτο μὲν τῆς αὐλῳδίας ἐπαύσθη τὸ ἀγώνισμα. Haec est illa inscriptio, quam spuriam esse, et ipse Boettiger docuit, et confirmat omnis nostra disputatio de nomine *ἔλεγος* Simonideis demum temporibus usurpari coepto. Neque vero Pausanias hanc solam ob oculos habuit inscriptionem, sed alios quoque auctores consuluit; quod quidem addito *καὶ* declarat, quum dicit: *μαρτυρεῖ δέ μοι καὶ τοῦ Ἐχεμβρότου τὸ ἀνάθημα,* etc. Sed quoscunque Pausanias est auctores secutus, hos manifestum est nominibus *ἔλεγος* et *ἐλεγεῖον* per prolepsin, ut aiunt, usos esse; id quod de auctore inscriptionis illius iam a Boettigero est animadversum. Iam si quaeris, quatenus istis sit fides habenda, non ausim negare, hoc verum esse, tam querula ad tibiam et incondita carmina esse cantata, ut propterea *αὐλῳδία* repudiaretur, seu epicedia, quae alias inter ipsa funera canebantur, aliquamdiu esse in ludis Pythicis audita, sed altera iam Pythiade tanquam ab hoc loco aliena a certaminibus remota, et ad funera ac venales mulierum eiulantium fletus relegata. At enimvero istud *οὐκ εὔφημον ἄκουσμα* esse ad lugubria carmina distichis composita referendum, neque per se credibile est, neque etiam scire poterant illi, quos Pausanias ob oculos habuit, nisi lectis carminibus, quae fuerant ibi cantata: quae si exstitissent, ad haec procul dubio Pausanias potissimum fuisset provocaturus. Nempe in hac re ne aequalium quidem testimonia quidquam valebant, quum, quo metrum elegiacum ita significaretur, ut distingui posset ab heroico, adhuc deesset nomen.

Neque profecto aliunde constat, lugubres elegos ad tibiam, nedum ad impares tibias, semper esse cantatos. Plutarchi locum, a quo processit omnis haec disputatio, hic praetereo. Eustathius Caricis carminibus, quae omnium maxime flebilia erant, atque a Caricis mulieribus mercede conductis, barbaris ac praeficarum apud

Romanos similibus, ad tibiam canebantur, opponit τοὺς ἐλέγους ut Ἑλληνικούς, hosque non minus, quam illa, ad tibiam cantatos esse contendit. Dicit autem p. 1372. l. 27: — *καὶ τὰ λεγόμενα μέλη Καρικὰ καὶ οἱ Ἑλληνικοὶ δὲ ἔλεγοι (ὅ ἐστι θρῆνοι), οἵ μετ' αὐλοῦ, φασὶν, ᾔδοντο. πένθιμος γὰρ ἦν τὸ πρῶτον, φασίν, ὁ αὐλός. Μίδας δὲ ὁ Γορδίου παραβώμιον αὐτὸν ἐποίησεν, ἀποθεῶσαι τὴν μητέρα βουληθείς.* De Caricis carminibus tum alii exposuerunt, quos maximam partem Hesychii laudant interpretes, tum Spanhemius ad Aristoph. Ran. v. 1329. Obiter licet monere, quod Schleusnerus ad Photium notare debebat, Photii locum in Lex. v. *Καρικῇ Μούσῃ*, quem ad eundem Aristophanis versum Beckius memorat, glossam esse Platonicam, et iisdem plane verbis exstare in Schol. Platon. collect. Ruhnken. p. 229. De Eustathio perspicuum est, hunc quidem accepisse ab aliis, lugubres elegos ad tibiam esse cantatos, verum istos non esse veterum testimonia, sed sua ratiocinia secutos; addit enim: *πένθιμος γὰρ ἦν τὸ πρῶτον, φασίν, ὁ αὐλός.* Non aliter Suidas: *Ἔλεγος, θρῆνος· ἀπὸ γὰρ τοῦ ἒ ἒ λέγειν. ἢ οἱ πρὸς αὐλὸν ᾀδόμενοι θρῆνοι· τὸν γὰρ αὐλὸν πένθιμον ὑπειλῆφθαι. ἢ ὅτι πρὸς αὐλὸν ᾔδοντο οἱ θρῆνοι, τουτέστιν οἱ ἔλεγοι. Τὸν δὲ αὐλὸν ὕστερον ἐπικήδειον Μίδαν φασὶ τὸν Γορδίου βασιλεύοντα περιβώμιον ποιῆσαι, βουλόμενον τὴν ἑαυτοῦ μητέρα ἀποθεῶσαι τελευτήσασαν.* Latet hic ista argumentandi ratio: Tibiam lugubre organum ferunt, sive ad tibiam lugubria carmina canebantur; *ἔλεγοι* carmina erant lugubria: ergo *ἔλεγοι* canebantur ad tibiam. Quae conclusio recte haberet, si lugubria carmina omnia essent ad tibiam cantata. Sed hoc de iis tantum valet carminibus, quae in ipsis funeribus canebantur, non omnino de iis, quae de mortuis querimoniam continebant. Quod quidem vel ipse Suidas luculenter indicat, quum tibiam *ἐπικήδειον* dicit. Male enim, ne quis erret, Ovidii elegia in mortem Tibulli, Statii epitaphium Pileti

Ursi et similia carmina, epicedia vocari solent. Proclus in Chrestom. apud Photium Bibl. p. 987: *Διαφέρει δὲ τοῦ ἐπικηδείου ὁ θρῆνος, ὅτι τὸ μὲν ἐπικήδειον παρ' αὐτὸ τὸ κῆδος, ἔτι τοῦ σώματος κειμένου, λέγεται, ὁ δὲ θρῆνος οὐ περιγράφεται χρόνῳ.* Proclum descripsit Etym. M. v. *θρῆνος,* quod miror ad neutrum a Sylburgio annotatum. Servius ad Virg. Eclog. V, 20: *Epicedion est, quod dicitur cadavere nondum sepulto: epitaphion post completam sepulturam dicitur.* Haec loca vel e Lexicis nota sunt, sed vulgo neglecta. Atqui non minus iusta esset conclusio, si lugubres elegi fuissent epicedia seu carmina in ipsis cantata funeribus: quam sententiam Etym. M. v. *Ἔλεγος* prodidit his verbis: *εἴρηται δὲ παρὰ τὸ ἒ ἒ λέγειν ἐν τοῖς τάφοις.* et iterum v. *Ἐλεγεία* (sic enim scribendum esse vidimus pro *Ἐλεγεῖα*) hoc modo: *ἢ παρὰ τὸ λέγεσθαι ἐπὶ τῶν θανόντων· εἰς ἐπικήδειαν γὰρ ἐλέγοντο.* Et hoc ipsum est, quod Suidas vel potius is, quem et ipse et Eustathius ob oculos habuere, credidisse existimandus est. *Θρῆνον* dicit, *ἐπικήδειον* intelligit, sicut tibiam generatim *πένθιμον* vocat, idque deinde per *ἐπικήδειον* ipse interpretatur. Potuit autem *θρῆνος* de epicediis pariter atque epitaphiis omnibusque omnino carminibus usurpari, quae de mortuis querimoniam continebant. Aristocles Rhodius apud Ammon. p. 54: *τινὲς μὲν οὖν κοινῶς πάντα εἶπον θρήνους.* Proclus loco modo allato: *ὁ δὲ θρῆνος οὐ περιγράφεται χρόνῳ.* Grammaticus Bibl. Coisl. p. 234: *Ἰάλεμος, εἶδος θρήνου.* Apollodorus apud Schol. Theocrit. ad Idyll. X, 41: *καθάπερ ἐν μὲν θρήνοις ἰάλεμοι,* etc. Nec minus recte dixeris: *Ἐπικήδειον, εἶδος θρήνου.* Iam si quaeris, quidni concedi possit, lugubres elegos in ipsis funeribus, ideoque ad tibiam esse cantatos, nemo nescit, tam absona et futilia fuisse carmina funerum, ut apud Graecos pariter ac Romanos in proverbium abirent. Quare, quum ii, qui elegiam principio fuisse lugubrem opinabantur, persuadere sibi po-

tuerint, fuisse eam initio tam rudem adhuc atque inconditam, ut inter funera caneretur, tum vero nobis, qui primum lugubris elegiae auctorem Simonidem Leoprepiden fuisse scimus, eiusque praeclara hoc genus fragmenta cognita habemus, ne cogitare quidem licet de lugubribus elegis in ipso funere cantatis. Omnino autem Eustathius et Suidas de tibia non dextra et sinistra, sed de obliqua loquuntur. Nam primum, ut est notissimum, haec *ἐπικήδειος* erat; deinde inventio eius eidem Midae, qui Eustathio et Suida auctoribus tibiam posthac *ἐπικήδειον* primum in matris consecratione arae admovisse ferebatur, tribui solebat. Plinius Hist. Nat. VII, 57: *obliquam tibiam Midas* (invenit) *in Phrygia; geminas tibias Marsyas in eadem gente* etc. Ceterum obliquam tibiam eandem esse, quam *πλαγίαυλον* Graeci vocant, ut recte Harduinus monuit ad Plinii locum, facile contra Bartholinum comprobarem, si mihi de tibiis veterum disputandum esset. Nunc satis est intellexisse, ex Eustathio et Suida doceri minime posse, ad tibiam, multo minus ad impares tibias, cantatas esse lugubres elegias.

Sed mittamus lugubrem elegiam, quae omnino huc trahi a Boettigero non debebat. Restat Plutarchi locus, ad quem ante omnia vir praestantissimus provocare poterat, de elegia non semper quidem, sed initio ad tibiam cantata. Qui locus si ad rem comprobandam esset idoneus, non possent sane Herodoti verba, a quibus procedit omnis Boettigeri disputatio, aliter referri ad cantum carminum Callini elegiacorum, quam ut haec unice ad *αὐλόν*, quem vocat Herodotus, *γυναικήϊον τε καὶ ἀνδρήϊον*, non etiam ad organa praeterea memorata ab Herodoto, cantata putares. Sed videamus, quantum vel potius quantulum hac in re Plutarcho sit tribuendum. Dicit autem de Musica p. 1133. seq. *καὶ ἄλλος δ' ἐστὶν ἀρχαῖος νόμος, καλούμενος Κραδίας, ὅν φησιν*

Ἱππώναξ Μίμνερμον αὐλῆσαι. ἐν ἀρχῇ γὰρ ἐλεγεῖα μεμελοποιημένα οἱ αὐλῳδοὶ ᾖδον. τοῦτο δὲ δηλοῖ ἡ τῶν Παναθηναίων γραφὴ ἡ περὶ τοῦ μουσικοῦ ἀγῶνος. Hipponactis male a Plutarcho intellectam esse sententiam, mox docebo, sed ita, ut omnem disputationem referam ad eam sententiam, de qua provocat auctor ad *τὴν τῶν Παναθηναίων γραφὴν τὴν περὶ τοῦ μουσικοῦ ἀγῶνος.* Videlicet de fide huius monumenti dubitari nullo modo potest: sed nihilo secius nego, hunc unum Plutarchi locum sufficere ad rem non confirmandam aliunde cognitam, sed sine ullo aliorum adiumento locorum comprobandam. Quid enim? Sufficeret, si aeque certa esset Plutarchi fides, atque ipsius *ἀναγραφῆς*. Sed magnopere vereor, ne Plutarchus pariter atque auctor inscriptionis illius apud Pausaniam, de qua supra disserui, et ipse Pausanias, carmina illa ab auloedis cantata elegiaca fecerit, quum essent querula tantum atque funebria. Simili errore etiam Suidam Olympo videri elegos tribuisse, in disputatione, quae summa est huius libelli, suo loco a nobis est animadversum. At maior fortasse, quam illis, Plutarcho fides habenda. Credat per me, qui volet: me vestigia terrent. Nam primum hanc ipsam sententiam, de qua provocat ad monumentum illud, quam parum Plutarchus religiose reddiderit, adiectum ab ipso *ἐν ἀρχῇ* declarat, et res temere omnino ad Mimnermiana et antiquissima tempora translata, quae certe nonnisi de Periclea aetate aut etiam seriore valebat. Quippe certamen illud musicum esse a Pericle demum institutum, tum aliunde, tum etiam ex ipso Plutarcho constat in Vita Periclis. Quid? quod vel hoc ipsum est impedimento, quo minus ulla possit a nostro Plutarchi loco ad cantum antiquissimarum Callini elegiarum conclusio fieri, quamvis ceteroqui de Plutarchi fide ne levissima quidem suspicio sit. Sed hoc mittamus, tametsi haud scio an id omnium sit gravissimum. Hoc dico, de re

omni fidem Plutarchi eadem illa observatione vel maxime elevari. Deinde alius etiam latet error hoc ipso in loco, ex male intellecta Hipponactis sententia profectus. Quem priusquam notare licet, ante omnia videndum est, ne ipsam Plutarchi sententiam male intelligas, eamque ex Hesychio illustrare velis, quod semper adhuc factum esse miror. Hesychius: *Κραδίης νόμος. νόμον τινὰ ἐπαυλοῦσι τοῖς ἐκπεμπομένοις φαρμακοῖς, κράδαις καὶ θρίοις* (ex emend. Scalig. et Salmas. pro *θηρίοις*) *ἐπιραβδιζομένοις*. Hunc locum rectius Sopingio et Is. Vossio Meursius accepit Gr. Fer. p. 147. et Att. Lect. p. 224. eumque secutus Burettus in Comment. Acad. Inscript. Paris. T. X. p. 291. seq. Putavit Hesychius, *Κραδίην* fuisse canticum, quod tibia accineretur piaculis, quum in Thargeliis ramis ac foliis fici caederentur et expellerentur. At nemo non videt, istiusmodi canticum quam alienum sit a Mimnermo, quem tibia cecinisse *Κραδίαν*, Hipponax testatur apud Plutarchum. Quid quaeris? Constabat, *Κραδίαν* esse nomi cuiusdam auletici appellationem antiquam: sed nihil amplius, nisi me omnia fallunt, traditum erat. In eiusmodi autem glossis accuratius explicandis ad etymologiam grammatici confugere solebant. Et *Κραδίης* quidem grammatico, quem Hesychius sequitur, videbatur a *κράδη* posse deduci, idque satis esse putabat ad excogitandam omnem interpretationem istam: ut haec novo sit et magno documento, quam verissimum sit Ciceronis illud, notationem nominum consuetudinem esse periculosam. Ab his vero nugis Plutarchus abstinuit. Is enim, ut omnis eius oratio aperte declarat, *Κραδίαν* nomum putavit auloedicum, Mimnermum autem auloedum fuisse, qui caneret ad tibiam elegos suos. Addidit enim: *ἐν ἀρχῇ γὰρ ἐλεγεῖα μεμελοποιημένα οἱ αὐλῳδοὶ ᾖδον.* Quod ut minus ineptum sit, est tamen aeque falsum. Nam Hipponactis aliam mentem fuisse, satis perspicue verbum

αὐλῆσαι indicat, quod quidem ad αὐλητὴν pertinet, non ad αὐλῳδόν. Unde consequitur, Κραδίαν νόμον fuisse non αὐλῳδικόν, sed αὐλητικόν. Cuius rei in ipso etiam Hesychii commento vestigium est verbum ἐπαυλοῦσι. Neque Mimnermus αὐλῳδὸς erat, qui elegos suos ad tibiam caneret, sed, ut Strabo auctor est XIV. p. 643. (952.), αὐλητὴς ἅμα καὶ ποιητὴς ἐλεγείας. Auloedicos nomos cum auleticis iterum Plutarchus perturbavit in eodem libro de Musica p. 1133. D. ubi: ἐπεὶ δέ, inquit, τοὺς αὐλῳδικοὺς νόμους καὶ κιθαρῳδικοὺς ὁμοῦ τοὺς ἀρχαίους ἐμπεφανίκαμεν, μεταβησόμεθα ἐπὶ μόνους τοὺς αὐλῳδικούς. λέγεται γάρ, τὸν προειρημένον Ὄλυμπον, αὐλητὴν ὄντα τῶν ἐκ Φρυγίας, ποιῆσαι νόμον αὐλητικὸν εἰς Ἀπόλλωνα. Apparet, νόμον αὐλητικὸν dici pro νόμον αὐλῳδικόν. Nempe αὐλῳδὸν differre ab αὐλητῇ, ut κιθαρῳδὸν a κιθαρίστῃ, et illum quidem *ad tibiam*, hunc *tibia* canere, vel analogia abunde declarat. Et αὐλητοῦ apud Lucianum in Harmonid. cap. 1. descriptionem habemus, quae hanc distinctionem τῆς αὐλῳδίας ab arte αὐλητικῇ mirifice confirmat. Idem discrimen, quod ignorant alii lexicographi, video tum a Gesnero in Thesauro, tum praecipue a Schneidero in Lexico recte statui, et hunc praeter analogiam ad locum provocare Pausaniae X, 7. p. 813, ex parte supra allatum, quo quidem in loco Echembrotus Arcas αὐλῳδὸς opponitur Sacadae Argivo, qui in certamine vicisse dicitur ἐπὶ τοῖς αὐλοῖς. Plutarchum perturbate loqui, non licet mirari. Erat enim haud dubie non minus, quam grammatici fere omnes, quibus non plus tribuendum est, ubi de musica, quam ubi de metris scribunt, musicae imperitus, ideoque saepissime, quos auctores in rebus musicis sequebatur, male intelligebat. Nec sane operam perderet, si quis in toto hoc Plutarchi libro similem iudicii severitatem exercere, perpetuamque eius censuram agere vellet. Quanquam perspicuum est, non posse ubique pari successu errores Plutarchi et

fontes eorum investigari. Nunc satis habemus intellexisse, quam parum in re, de qua nunc agitur, Plutarcho sit tribuendum, non plus scilicet, quam illis, quos ante docui querula omnino et lugubria carmina ad tibiam cantata pro arbitrio elegiaca fecisse.

Quae quum ita sint, apparet, doceri minime posse, ad tibiam aut semper, aut etiam initio cantata esse elegiaca carmina. Quodsi a verbis Herodoti de Alyattis, Lydorum regis, musica militari ad cantum elegiacorum Callini carminum ulla omnino valet conclusio, nulla certe ratio est, quare carmina illa debeant magis videri cantata ad impares tibias, quam ad reliqua organa, simul ab Herodoto memorata.

Sed nunc ad novam disceptationis nostrae partem est transeundum, qua tamen paucis, puto, defungi licebit. Nego enim, de cantu elegiarum Callini quidquam omnino ex Herodoti verbis posse concludi. Nam ut taceam, multo maius, quam visum est Boettigero, inter Callinum, elegiaci carminis inventorem, et Alyattem, de cuius musica militari Herodotus loquitur, temporis spatium intercessisse, repugnat etiam analogia elegiarum Tyrtaei. Mirum videbitur, si dicam, ad eandem analogiam Boettigerum provocare pro sua sententia. Sed ita est. Nam quum sermo sit apud Herodotum de musica militari in ipsis proeliis usurpata, Boettiger p. 336. seq. Tyrtaei ἐμβατήρια sive ἐνόπλια, quae et ipsa initio pugnae canebantur, non dubitavit huc referre. Quae tametsi norat anapaestica fuisse, vel sic tamen statuit diversa non fuisse ab elegiis Tyrtaei. Neque id fecit incogitanter, ut alii, qui vel ante vel post ipsum tacite haec eadem commutarunt; Klotzium dico in Dissert. de Tyrtaeo p. 160. seq. et Astium in libro germanice de philologia scripto p. 90., quibus nescio an etiam plures addi possint. Quin potius huc traxit morem ita metiendi pentametri, ut duobus anapaestis terminare-

tur, quam perantiquam esse ac legitimam rationem pronunciat. De mensura pentametri tacere, et rem aurium iudicio relinquere libet, dum alias fortasse contigerit de fundamento doctrinae totius metricae sententiam explicare. Repetenda est enim res altius, quam quae sola per se satis declarari posse videatur. Nec sane iam egemus quaestione ista. Fac enim, veram hanc esse et antiquissimam metiendi rationem: ideone anapaestica dici poterunt carmina elegiaca? Quid? quod elegias Tyrtaei ab eiusdem anapaestis diserte distinguit Pausanias IV, 15. p. 317, quum de Tyrtaeo: *ὃ δέ*, inquit, *ἀφικόμενος ἰδίᾳ τε τοῖς ἐν τέλει καὶ συνάγων ὁπόσους τύχῃ, καὶ ἐλεγεῖα καὶ τὰ ἔπη σφίσι τὰ ἀνάπαιστα ᾖδεν.* Atque etiam ex ipsis Tyrtaei *ἐμβατηρίοις* aureum fragmentum servatum est a Dione Chrysostomo, et Tzetza, a nobis postremo in collectione reliquiarum Tyrtaei loco receptum. Quorum nisi immemor fuisset Boettiger, profecto elegias Tyrtaei cum embateriis non perturbasset. Pausaniae locum adversus Boettigerum clarissimus Manso iam excitavit in Sparta Vol. I. Part. II. p. 171, Tyrtaei fragmentum Conr. Schneiderus in Stud. Heidelb. Vol. IV. p. 18. Quod praeterea Manso affert, rhythmum elegiacum vel per se haudquaquam idoneum videri, ad quem in pugnam procedant milites, hoc argumenti multis vereor ut satisfaciat. Erunt enim, qui ad hunc rhythmum incedere sibi posse videantur. Quaeritur etiam, quomodo rhythmus musicus ad metrum fuerit comparatus: quam quaestionem nuperrime Hermannus attigit in dissertatione de metrorum quorundam mensura rhythmica: nisi forte sumi potest, cum metris dactylicis magis convenisse numeros musicorum, quam cum aliis. Quanquam si verum est, quod Ilgenus ostendere studuit in Disquisit. de Scol. Poesi p. LXXVIII. seqq. antiquissimis temporibus carmina recitari magis, quam cantari solita esse, non modo super-

sedere illa quaestione licebit, verum etiam ex hoc ipso, etiamsi totum illud Mansonis in medio relinquas, Boettigeri opinionem de cantu elegiarum Callini atque Tyrtaei ad impares tibias confutare. Sed rem ad liquidum perducere longum est. Illud, in quo omnia hic vertuntur, Tyrtaei elegos differre ab embateriis, pluribus etiam locis veterum, quae tanti non est hic recensere, a Mansone est confirmatum. Hoc addamus, ex uno eorum male colligi, embateria eodem semper anapaestorum genere fuisse composita. Locus est Marii Victorini, Art. Grammat. II. p. 2522, ubi loquitur de trimetro in syllaba catalectico, quod anapaestis praecedentibus et spondeis sequentibus habeat factas coniugationes et postremam syllabam brevem, hoc modo:

Superat montes pater Ideos (immo *Idaeos*), *nemorumque*,

quod metrum Messeniacum appelletur, id est, ut recte, ni fallor, accepit Manso, in bello Messeniaco a Lacedaemoniis usurpatum. Addit: *Idem et embaterium dicitur*, *quod est* (vulgo *et*) *proprium carmen Lacedaemoniorum*. Quippe grammaticus non satis accurate loqui putandus est. Dicere tantum debebat, hoc metrum esse in embateriis usurpatum. Neque enim aliena fuisse ab embateriis alia anapaestorum genera, ipsum illud Tyrtaei fragmentum declarat, quod paroemiacis constat. Res ipsa, ut illuc redeat, unde deflexit, oratio, embateria diversa esse ab elegis, confirmatur aperte hoc etiam loco. Sed licet progredi ultra. Etenim aliunde constat, elegias Tyrtaei non esse, ut embateria, initio proelii, sed ante pugnam ad regis tentorium ex lege cantata. Notissima res e Lycurgi Orat. in Leocrat. p. 212. Reisk. Neque repugnat Pausaniae locus supra allatus, ubi Tyrtaeus congregasse narratur et principum coetus et hominum de plebe, quoscunque offenderet, iisque tam embateria quam elegos cecinisse. Nempe hoc

primum fecit; deinde elegias in concione militum ante pugnam, embateria proelio ineunte cantavit. Quomodo postea cantata carmina sint, patebit in prooemio ad Tyrtaeum. Concedo equidem, peculiarem illam Lacedaemoniorum legem, ex qua Tyrtaei carmina elegiaca ad regis tentorium canebantur, non esse continuo ad Ephesios Callini tempore transferendam. Immo vero ne hoc quidem pro certo affirmarim, legem istam apud Lacedaemonios Tyrtaei iam tempore obtinuisse. Sed hoc, puto, manifestum est, omnino elegos bellicos, sive Callini sive Tyrtaei, carmina fuisse, quibus milites, non quum ad ipsam pugnam progrederentur, sed ante pugnam in concione, ad fortitudinem incitarentur. Alioquin enim apud Lacedaemonios eiusmodi lex, nisi me omnia fallunt, recipi non potuisset. Itaque Herodoti dictum illud de musica militari apud Lydos Alyattis aetate in pugnis usitata, in quo nititur omnis Boettigeri opinio de bellicis Callini elegis ad tibiam dextram et sinistram cantatis, omnino ab horum carminum cantu alienissimum est.

Iam pedem contuli, ut Quintiliani verbis utar, cum singulis Boettigeri argumentis. Restat, ut candide fatear, nullam plane mihi caussam fuisse, cur magis voluerim virum, laude nostra et reprehensione longe superiorem, quam opiniones eius impugnare, interdum nimis leves.

TYRTAEI RELIQUIAE

CUM

PROOEMIO ET CRITICA ANNOTATIONE.

PROOEMIUM.

Quum in disceptatione de origine carminis elegiaci ad constituendam Callini aetatem fragmentum huius poetae esset cum Tyrtaei reliquiis comparandum, attigi ἀϑέτησιν omnium, quae prae se ferunt Tyrtaei nomen, propositam non ita pridem a Thierschio, sed ab eodem nunc tacite retractatam. De quo iudicio satis, ut opinor, in genere a nobis dictum ibidem est. Nunc placet sic emendare Tyrtaei reliquias, ut, si cui forte inhaereat adhuc istiusmodi suspicio quaedam, haec penitus eximatur illi necesse sit. Quanquam hanc unam ob caussam in sanandis omnibus Tyrtaei reliquiis diligentius versari vix operae pretium existimassem, ac maluissem paucis removere suspicionem istam, nisi fas esset sperare, etiam per se non ingratum fore, si in integrum, quantum fieri posse videretur, praestantissima haec restituerem veteris ἀοιδοῦ monumenta ingenii, non uno modo misere deformata.

Qui optime sunt de Tyrtaeo post Brunckium meriti, Thierschius in Actis Philol. Monac. T. I. Fasc. II. p. 214. seqq. et summus Hermannus in Append. ad Vigerum p. 932. seqq. nonnisi ea vitia tollere studuerunt, quae communia sunt Tyrtaeo cum alio quovis poeta; quo de genere a nobis ad singula Tyrtaei loca est disputatum. Sed novam emendandi viam iam ante hos Everinus Wassenberghius erat ingressus in Dissert. Philol. Crit. de Transposit. p. 5. seqq. primus omnium, quod sciam, esse ratus in Tyrtaeo, quae sint transpositione sananda. Quo

magis doleo, me rarissimam hanc dissertationem ne ex locupletissima quidem Göttingensi bibliotheca accipere potuisse. Quanquam, ne quid rectius isto quidem in genere ab hoc viro, quam a nobis, expositum sit, vix erit verendum, si vere Harlesius retulit ad Fabric. Bibl. Gr. T. I. p. 740. substitisse eum in transponendis versibus a Lycurgo servatis. In his enim una tantum, meo quidem iudicio, admitti transpositio potest. Neque omnino locum habet in Tyrtaeo id genus traiectionis, quod solis potest librariis imputari. Immo iunctis iis, quae dispersa iacent apud varios scriptores, distractis, quae sunt apud singulos male consociata, colligenda sunt *disiecti membra poetae*. Neque tamen mala coniunctio versuum ipsis debetur, a quibus afferuntur versus, scriptoribus, sed partim sciolis, a quibus suppleti olim in margine versus videri debent, partim librariis, a quibus inserti loco alieno. Singula persequar suis locis, nunc statim transiturus ad primarium correctionis genus, quod in Tyrtaeo nemini adhuc usurpare in mentem venit, positum illud in notandis interpolationibus rhapsodorum.

Nimirum quum in Homeri carminibus a Wolfio inde, viro summo, sanior iam sit inita ratio, nemo sane, nisi aut prorsus expers litterarum Graecarum, aut vulgaris superstitionis tenacissimus, dubitabit, quin antiquissima quaeque carmina sint diu ante in ore Graecorum versata, quam litteris mandarentur. Hoc igitur monuisse sat est, ut de Callini, ita etiam de Tyrtaei nostri carminibus aeque valere, ac de Homericis et Hesiodeis.

Quamdiu tamen a solis Lacedaemoniis canebantur, vacua fuisse Tyrtaei carmina ab omni fere interpolatione videntur. Namque in Laconica vix recitabantur a rhapsodis, qui multa saepe, quoniam et ipsi erant poetae, de industria immutare et addere solebant, quo ma-

gis placerent carmina auditoribus, sed a militibus viritim inter convivia canebantur. Auctor est Philochorus apud Athen. XIV. p. 630. F: *Φιλόχορος δέ φησι, κρατήσαντας Λακεδαιμονίους Μεσσηνίων διὰ τὴν Τυρταίου στρατηγίαν ἐν ταῖς στρατείαις ἔθος ποιήσασθαι, ἂν δειπνοποιήσωνται καὶ παιανίσωσιν, ᾄδειν καθ' ἕνα Τυρταίου*, etc. Erant autem Lacedaemonii hoc nomine imprimis conspicui, quod antiqua carmina multa et accurate tenebant, ut idem scribit Athenaeus ibid. p. 632. seq. his verbis: *τηροῦσί γε καὶ νῦν (Λακεδαιμόνιοι) τὰς ἀρχαίας ᾠδὰς ἐπιμελῶς, πολυμαθεῖς δὲ εἰς ταύτας εἰσὶ καὶ ἀκριβεῖς*, quo loco potissimum uti debebat Manso in Sparta Vol. I. Part. II. p. 166. Fac tamen, rhapsodos quoque interdum Tyrtaei carmina Lacedaemoniis recitasse. Nonne vel sic ipsum illud institutum hos debuit prohibere, quo minus pro arbitrio carmina illa interpolarent, nedum propagarent interpolationes suas? Neque etiam de pluribus cogitari posse poetis, qui communi sint Tyrtaei nomine appellati, monendum putamus, ne quis ad Tyrtaeum temere transferat, quidquid didicerit de Homero. Nullum enim huius rei vestigium est in ipsis Tyrtaei reliquiis, quae magnam partem ne possunt quidem referri ad alium, quam ad Tyrtaeum, nisi forte de homine cogitaveris, qui sit huius nomen mentitus. Sed hoc mittamus. Illud bene tenendum, carmina, de quibus loquimur, donec a solis Lacedaemoniis canebantur, nihil aut certe non multum a genuina forma sua et habitu recessisse.

Athenas haec carmina videntur circa Solonis tempora pervenisse, qui vix dubito quin cognitos habuerit civiles Tyrtaei elegos, eiusque hoc in genere sit exemplum secutus. Et ibi quidem procul dubio a rhapsodis omnia recitabantur, tam bellica quam civilia, illa, quae collectionem in unum corpus non admittebant, seorsum, haec, quae mox patebit in unam poesin esse redacta,

ἐξ ὑπολήψεως. Quippe iam ante, in quaestione de origine elegiae, e Chamaeleonte vidimus apud Athen. XIV. p. 620. C. etiam elegiaca a rhapsodis esse solita recitari.

Sed ne tum quidem magnopere interpolari poterant, et minus etiam bellica, quam civilia. Sunt enim sine dubio statim litteris consignata Pisistratidarum aetate, id quod in omnibus esse antiquissimorum poetarum carminibus eodem hoc tempore fieri coeptum, praeclare Wolfius animadvertit in Prolegomenis ad Homer. p. CLVI. Eodem fama pertinet de prima bibliotheca a Pisistrato condita apud A. Gellium Noct. Att. VI, 17. de qua idem Wolfius disseruit ibid. p. CXLV. Est autem illud sic factum, ut ea nostri poetae carmina, quae non essent bellica, sed circa exitum belli ad sedandam seditionem Lacedaemoniosque ad legum obedientiam revocandos composita, haec igitur ut in unum corpus redacta communi nomine *Εὐνομίας* seu *Πολιτείας* continerentur. Sed de hac quidem poesi explicatius deinde dicendum. Nunc velim hoc unum in animum inducas, nullam adhuc Tyrtaei carmina aut perexiguam labem traxisse, quum litteris primum perscriberentur.

Postea vero eadem tum alibi, tum etiam Athenis recitabantur ad fastidium usque, et mirum quantum a rhapsodis immutabantur. Qua de re Platonis est memorabilis locus, Leg. I. p. 629. B. ubi hospes Atheniensis Cliniam Cretensem his verbis alloquitur: *Ἀεὶ ταῦτα γὰρ ἀκήκοας που καὶ σὺ τὰ (Τυρταίου) ποιήματα. ὅδε μὲν γάρ, οἶμαι, διακορὴς αὐτῶν ἐστί.* Sic distinguendum, postulante sententia, conferendus autem, praeter alios, de collocatione particulae *γάρ*, Schaeferus, vir celeberrimus, Melet. Crit. p. 76. *Credibile est*, inquit hospes, *te perinde atque hunc Lacedaemonium, Megillum, satiatum esse Tyrtaei carminibus audiendis.* Quod equidem non video qui potuisset coniicere, nisi ab Athe-

niensibus, popularibus suis, ad omnes Graecos fecisset conclusionem. Respondet, qui designatur in fine, Megillus Lacedaemonius: *Πάνυ μὲν οὖν.* Et is quidem a militibus audierat carmina, vix etiam a rhapsodis. Tum Clinias: *Καὶ μὴν καὶ παρ' ἡμᾶς ἐλήλυθε κομισθέντα ἐκ Λακεδαίμονος.* Hic vero aperte loquitur de rhapsodis, a quibus carmina sint in Cretam etiam transportata. Quanquam minoris hoc est momenti in emendandis Tyrtaei reliquiis. Nullorum enim, opinor, nisi Atticorum, hodie exstant in his rhapsodorum interpolationes. Sed eodem Cliniae responso illud etiam confirmatur, carmina ista ab Atticis quoque rhapsodis esse identidem decantata. Cave enim haec verba tali modo accipias: *Nec sane apud Lacedaemonios manserunt carmina, sed inde ad nos etiam sunt translata.* Nae illud non ignorabat Atheniensis hospes, omnino haec extra Laconicam pervenisse. Quippe Athenas erant iam circa Solonis memoriam traducta, ne dicam, ipsum Platonem, qui loquentes hos omnes inducit, in numerato haec carmina habuisse. Immo hoc dicit Clinias: *Recte coniicis, me non minus, quam hunc Lacedaemonium, ad fastidium usque audisse carmina; neque profecto ad vos tantum Athenienses, sed etiam ad nos perlata, a rhapsodis tam in Creta, quam Athenis, identidem decantantur.* Atqui carmina, ut alibi, ita etiam Athenis, a rhapsodis toties repetita, fieri sane non potuit quin adeo interpolarentur, ut sui vix essent similia. Quid? quod vel ipsum Platonem, cui addas licet Theognidem et Lycurgum, doceri potest interpolata habuisse Tyrtaei poemata. Sed hoc differamus paullisper, dum fuerit ad singula interpolationis interna vestigia perventum. Ad singula inquam; de universis enim iam nunc tempus est disputare.

Ac primum sciendum est, de interpolationibus in Tyrtaeo, quarum minima haud dubie, nec tamen exi-

gua pars ad nos pervenit, non posse nisi ex longiorum reliquiarum praesente conditione ferri iudicium, neque in brevioribus ullum amplius interpolationis factae vestigium reperiri. Quare de his nunc quidem hoc fere unum quaeritur, quorsum pertineant, et quo ordine sint collocandae. Deinde quod ad maiorum hodiernam conditionem attinet, est haec ab Hymnorum Homericorum, Hesiodi et Batrachomyomachiae statu hactenus nihil diversa, quatenus hic quoque antiqui poetae verba cum rhapsodorum vel additamentis, vel mutationibus habemus coniuncta.

Quo de genere divina Hermanni, viri primarii, in Epistola ad Ilgenum est disputatio, obiter illa ad Hesiodi quoque Opera et Dies translata a Twesteno meo in Commentatione Hesiodea p. 54. seq. Neque tamen assentior, si libere sententiam dicere fas est, summo Hermanno in iudicio de discrimine huius generis ab Iliade et Odyssea. Putat enim, in hoc genere varias carminum recensiones, quas vocat, a librariis collatas esse atque coniunctas, quum Ilias et Odyssea, in quibus plerumque prorsus expulsa sunt antiquissimi poetae verba a mutationibus rhapsodorum, sic interpolatae ad nos pervenerint, ut alterius generis carmina haberemus, si nusquam vel potius rarissime antiquissimi versus, perinde ac mutationes et interpolationes alienae ab una recensione, cum hac essent conflati. Simile quid sicubi factum est etiam in Iliade et Odyssea, hoc diasceuastis Hermannus tribuit, de quibus aliter statuendum esse, aliquando docebit Heinrichius, qui utinam, quae habet in promtu de hoc argumento, ne diutius celare velit amatores Musae Homericae. Quod autem ad reliqua attinet, primum aliud est recensio carminis, aliud exemplum ex unius rhapsodi ore exceptum, de quo tamen in Hymnis Homericis unice et cogitavit Hermannus, et debuit cogitare. Deinde ne hoc quidem credibile videtur, omnino Graecos in-

exemplaribus carminum conficiendis ita esse versatos, nec potius scripta exemplaria descripsisse. Constat praeterea ex ipsa historia carminum Homericorum, Iliadem et Odysseam longe aliter ad nos esse perlatas, ac si ita, ut nunc exstant, ex ore unius cuiusdam rhapsodi essent exceptae. Quanquam hoc profecto non ignoravit Hermannus. Error ex eo manavit, quod longe alia res est, quam in Hymnis Homericis recensionem dicit Hermannus, alia Iliadis aut Odysseae recensio, sed utriusque eadem appellatio. Quod autem vir summus in iis, de quibus nunc agitur, *ἀοιδῶν* carminibus varias recensiones, quas vocat, a librariis censet collatas atque confusas, magnopere vereor, ut tanta a librariis exspectari diligentia possit. Nam si tale quid factum est in Apollonio Rhodio et Maximo Tyrio, quorum exemplis Hermannus utitur (alia etiam suppeditabit Boeckhius de Trag. p. 324.), ne hoc quidem, ut arbitror, solis librariis est tribuendum. Quid enim? Ex quo nova libri prodierat *ἔκδοσις*, prioris possessores consentaneum est hac non amplius fuisse contentos. Sed longe paucissimi, si quid video, opera illa de integro describenda curabant: plerique satis habebant correctiones auctorum ac supplementa in margine annotasse, ut taceam varias lectiones in scholiis servatas. Sic postea utrarumque editionum lectiones in singulis exemplis ante oculos habebant librarii, ac sine operosa complurium collatione confundere poterant et coagmentare.

At, inquit, quomodo tandem ex vero de discrimine illo est iudicandum? Res ita se habet. Graeci antiquiores, qui scripta carminum veterrimorum exemplaria habebant, si quid mutatum passim a rhapsodis et additum audissent, quod magis placeret, haud dubie id in exempli sui marginem referebant, ut hic quoque librarii, qui postea miscebant haec omnia, minime opus habuerint collatione plurium exemplorum. Ac probe re-

putandum est, primum, de librariis cogitandum esse Alexandrinorum aetate superioribus, qui διαφωνίας rhapsodorum tam inter se componere, quam cum ipsis conciliare studebant carminibus, ceteroquin haec describentes, quemadmodum fuerant a Pisistratidarum inde temporibus litteris propagata; deinde, eandem conditionem, in qua hodie versantur Hymni Homerici ceteraque hoc genus carmina, in his etiam Tyrtaei reliquiae, antiquitus omnium communem fuisse carminum vetustissimorum. Neque alia sors esset Iliadis et Odysseae, nisi liturae veterum criticorum effecissent, ut in his perpauca tantum confusionis istius vestigia etiamnum reperiantur. Reliqua ἀοιδῶν monumenta aut omnino studia criticorum non sunt experta, ut ipsa, de quibus cum maxime sermo est, Tyrtaei carmina, aut multo minus, quam Ilias et Odyssea. Ne multa, non omni quidem ex parte, sed hactenus redeundum est ad Wolfii, viri summi, iudicium, propositum in Proleg. ad Hom. p. CVI, ut utriusque generis discrimen ad ipsam criticorum limam referamus.

Nostrum non est quaerere, haeccine differentia cogat criticum, qui emendandam suscipiat Iliadem et Odysseam, in eo consistere, ut, quantum eius fieri possit, indicia eruat partium singularum. Hoc addere non abs re erit, me non assequi, quomodo nuper Hermanni iudicium, quod huc pertinet, potuerit etiam de eo genere carminum intelligi, cui Tyrtaei reliquiae sunt vindicandae. Videlicet nec dixit Hermannus, hoc in genere temerarium fore ulterius progredi, neque etiam potuit dicere, ut qui suo ipsius praeclaro exemplo ostenderit, quousque procedere liceat in Hymnis Homericis. Est autem Tyrtaei certior etiam emendatio, siquidem verum est, haec nostra carmina et ab uno poeta primum esse profecta, nec nisi postea, quam essent mandata litteris, valde interpolata.

Et haec fere de variis corruptionum, quibus affectae sunt Tyrtaei reliquiae, generibus habui dicere. Iam, age, ipsam reliquiarum pristinam formam non tanquam e longinquo designare, sed certis lineis describere aggrediamur. Erunt autem diversa illa depravationum genera dehinc spectanda promiscue, prout occurrunt in poetae nostri reliquiis, nisi quod librariorum peccata ad annotationem sunt releganda. Quum vero novus sit, vel transpositione, vel aptius disponendis minoribus Tyrtaei fragmentis, ordo nobis constituendus, hoc ea ratione fieri oportebit, ut repetamus omnia a vulgato ordine, sensimque perveniamus ad meliorem nostrum, ita tamen, ut hunc ab initio statim in animo ac veluti in conspectu habeamus.

Vereor equidem, ne quibusdam iocari videar, si dicam, Tyrtaei, praeter breviora illa, unum tantummodo fragmentum unamque integram elegiam exstare. Sed ita est. Incipiam a fragmento, quod quidem partim est in Strabonis margine, partim a Stobaeo, partim denique apud Lycurgum memoriae proditum. Qui versus vulgo disiunctim ponuntur, et ita quidem, ut principem locum obtineant, quos Lycurgo, proximum, quos Stobaeo debemus. Nobis separanda erunt male connexa, copulanda male dissociata, ut ante oculos quasi nobis maius illud fragmentum, cuius partes haec omnia sunt habenda, prodire et conformari videamus. Cum hac vero quaestione illa de interpolationibus arctissime cohaerebit.

Primum distichum e Strabone est arcessendum, ubi insertum legitur loco alieno, VIII. p. 362 (556. seq.): *ἡνίκα φησὶν αὐτὸς στρατηγῆσαι τὸν πόλεμον τοῖς Λακεδαιμονίοις· καὶ γὰρ εἶναί φησιν ἐκεῖθεν ἐν τῇ ποιήσει ἐλεγείᾳ, ἣν ἐπιγράφουσιν Εὐνομίαν·*

Αὐτὸς γὰρ Κρονίων, καλλιστεφάνου πόσις Ἥρης,
Ζεὺς Ἡρακλείδαις τήνδε δέδωκε πόλιν.
οἷσιν ἅμα προλιπόντες Ἐρινεὸν ἠνεμόεντα,
εὐρεῖαν Πέλοπος νῆσον ἀφικόμεθα.

ὥστε ἢ ταῦτα ἠκύρωται ὄντα ἐλεγεῖα, ἢ Φιλοχόρῳ ἀπιστητέον καὶ Καλλισθένει καὶ ἄλλοις πλείοσιν, εἰποῦσιν, ἐξ Ἀθηνῶν καὶ Ἀφιδνῶν ἀφικέσθαι, δεηθέντων Λακεδαιμονίων κατὰ χρησμὸν, ὃς ἐπέταττε παρ' Ἀθηναίων λαβεῖν ἡγεμόνα. Loquor autem de priore disticho: de quo tamen tum demum cum fructu poterit disputari, ubi constiterit de reliqua Strabonis sententia, impedita illa lectionis perversitate. Ac primum ante καὶ γὰρ recte Casaubonus indicat intercidisse talia quaedam: ἐλθὼν ἐξ Ἐρινεοῦ. Neque incertam reddunt hanc correctionem dissona codicum testimonia, quae mens est novissimi in Germania editoris. Quippe in uno codice desunt omnia ad finem usque versuum: ceteri a vulgata lectione discrepantes nil nisi librariorum supplementa continent, concinnata ad quaedam antiquae lectionis vestigia nondum penitus obscurata; qua de re plura dicere non est huius loci. Deinde pro soloeco ἐν τῇ ποιήσει ἐλεγείᾳ miror neminem vidisse reponendum esse ἐν τῇ ποιήσει τῇ ἐλεγείᾳ, aut etiam transponendum ἐν τῇ ἐλεγείᾳ ποιήσει. Deest ποιήσει duobus in libris, sed minime tamen sollicitandum est, quippe exquisita significatione dictum de volumine poematum. In iis, quae Tyrtaei versus excipiunt, magna est, sed nullius frugis, lectionis varietas. Hoc unum notatu dignum, verba, quae in cod. Veneto post ἐλεγεῖα leguntur: λέγει δὲ τὰ Τυρταίου, ὧν τινα παρέθετο, pro scholio esse habenda, et hoc scholium in cod. Parisino una cum ipsius Strabonis verbis esse corruptum. Τὰ ἐλεγεῖα pro ὄντα ἐλεγεῖα quum primum in Aldina reperiatur, vix dubito quin sit correctio Aldi Manutii. Sed nimirum, sive sententiam seu litterarum vestigia spectes, facile patet scribendum esse: ὥστε ἢ ταῦτα ἀκυ-

ϱωτέον τὰ ἐλεγεῖα, ἢ Φιλοχόϱῳ ἀπιστητέον etc. Aphidnas convenit, puto, intelligi Atticam urbem, non Laconicam. Dicit Strabo, aut elegiae ipsius Tyrtaei, ex qua versus istos attulerat, fidem esse derogandam, aut Tyrtaeum, quum Lacedaemonii ex oraculi responso ab Atheniensibus ducem peterent, quod factum esse minime negat, non ex ipsa urbe Athenis, neque ex Aphidnis ad Lacedaemonios venisse, sed ex Erineo, qui et ipse, ut monet Tzschuckius, Atticae locus fuit prope Cephissum fluvium.

Iam quaero, prius Tyrtaei distichum quid sibi velit. Sensit hanc difficultatem Brunckius Lection. ad Anal. T. III. p. 8, eamque sic voluit expedire, ut graviter errasse Strabonem, neque suo Tyrtaeum, sed Spartanorum nomine loqui putaret, assentiente Mansone in Sparta Vol. I. Part. II. p. 284. *Dedit Iupiter*, sic Manso interpretatur, *Iram* (τήνδε πόλιν) *Heraclidis, quibuscum nos Dores, relicto Erineo ventoso* (sede nostra antiqua ad Pindum, flumen Thessalicum) *in Peloponnesum venimus.* At enim Laconica pariter ac Messenia Doriensium ope ab Heraclidis fuerat occupata. Haud equidem ignoro Strabonis locum, ibid. p. 365 (561): *Κατὰ δὲ τὴν τῶν Ἡϱακλειδῶν κάθοδον, Φιλονόμου πϱοδόντος τὴν (Λακωνικὴν) χώϱαν τοῖς Δωϱιεῦσι*, etc. et talia. Sed novi etiam similia loca de Messenia, quae afferre nihil attinet, novi eiusdem locum Strabonis ibid. p. 364. (560.), iam ab ipso Mansone collatum Vol. I. Part. I. p. 59., ubi Ephoro auctore Heraclidis prodita narratur Laconica, et quae praeterea huc pertinent; novi denique in his ipsius Tyrtaei versum mox proferendum:

ἀλλ', Ἡϱακλῆος γὰϱ ἀνικήτου γένος ἐστέ.

Nimirum tam arcta erat Dorum et Heraclidarum societas atque coniunctio, ut utrique, unius populi instar

habiti, modo illo modo hoc nomine promiscue appellarentur. Quod quum vel ipse Manso passim se intellexisse declararit, atque etiam diserte monuerit p. 45, hoc magis mirabile debet videri, potuisse eum affingere Tyrtaeo sententiam, ex qua Dores dicerentur Laconicam, Heraclidae ab his diversi Messeniam cepisse. Et quae tandem haec est sententia? An potuit vel per se poeta in tali sententia maiores Lacedaemoniorum diversos ponere ab iis, a quibus olim sit urbs expugnata? Nonne, spem potius Lacedaemoniis iniecisse putandus est, fore, ut idem ipsis prospere cedat Iovis auxilio, quod eiusdem dei beneficio olim maioribus suis, Heraclidis seu Doribus, contigerit, qui quidem occupaverint Iram? Hoc autem nullo artificio extorseris e versibus istis. Sed misso nunc quidem Tyrtaeo ad Strabonem nos convertamus, quem illi putant sic intellexisse Tyrtaeum, quasi diceret, se ipsum una cum Heraclidis in Peloponnesum venisse. Quid? Adeone socordem aut stupidum fuisse Strabonem, ut a Tyrtaei mente tantopere potuerit aberrare? Erravit sane, ut ad ipsum Tyrtaei locum ostendam, sed leviter. Illud profecto a Tyrtaeo vel exspectare, hominis est, qui cerebrum non habet, non Strabonis, in quem tam turpe peccatum minus etiam cadit propterea, quod totam potuit inspicere elegiam. Quid? quod Strabo, ut fuit omnino diligentissimus, ita a tali lapsu tum maxime sibi cavisse putandus est, quum vellet Philochorum, Callisthenem aliosque clarissimos historiarum scriptores falsi arguere. Vides, quot quantis difficultatibus laborent omnia, nisi prius distichum aliorsum credideris pertinere. Adscriptum puto ad verba Strabonis, quae attigi paullo ante, VIII. p. 364. (560.) paucis igitur paginis interiectis: φησὶ δ' Ἔφορος καὶ (servandum καί, et omissio nominis statuenda alius cuiusdam historici) - - - τοὺς κατασχόντας τὴν Λακωνικὴν Ἡρακλείδας, etc. et adscriptum quidem ab homine, qui

τήνδε πόλιν apud Tyrtaeum de Sparta acceperit. Nimis enim remota videntur, quae ante leguntur p. 359 (550). *καὶ δὴ κατὰ τὴν τῶν Ἡρακλειδῶν κάθοδον καὶ τὸν τότε γενηθέντα μερισμὸν τῆς χώρας, ἦν Μέλανθος βασιλεὺς τῶν Μεσσηνίων,* etc. Utcunque sit, illud certissimum est, distichum, ubi nunc habetur, ferri non posse, ac per se potius esse spectandum. Ceterum de auctore si quis dubitarit, quin sit Tyrtaeus (iam enim, seiuncto hoc disticho a proximis versibus, concidit hac de re Strabonis testimonium), in hac dubitatione non vereor ne persistat, quum docuero, quo pertineat distichum.

Memineris autem, nos disputationem de maiore quodam Tyrtaei fragmento, e pluribus componendo, ab hoc disticho inchoasse. Repetamus distichum:

Αὐτὸς γὰρ Κρονίων, καλλιστεφάνου πόσις Ἥρης,
Ζεὺς Ἡρακλείδαις τήνδε δέδωκε πόλιν.

Proxima pars fragmenti, secundo hucusque collectionis loco posita, exstat apud Stobaeum Serm. XLVIII. ubi sic pergit Tyrtaeus:

ἀλλ', Ἡρακλῆος γὰρ ἀνικήτου γένος ἐστέ,
θαρσεῖτ', οὔπω Ζεὺς αὐχένα λοξὸν ἔχει.

Qua re quum nil esse evidentius possit, statim ad reliqua transeo.

Ibidem exhortatio ad fortitudinem necessario exspectatur ante v. 11.

οἳ μὲν γὰρ τολμῶσι, παρ' ἀλλήλοισι μένοντες,
εἴς τ' αὐτοσχεδίην καὶ προμάχους ἰέναι,
παυρότεροι θνήσκουσι, etc.

nisi vero placuerit Koeppenii ratio, interpretantis, quasi adversativa haec esset, nec potius caussalis sententia. Est quidem cohortatio ad virtutem v. 3. usque ad 6. sed hanc subsequuntur hi versus, 7. seqq.

ἴστε γάρ, ὡς Ἄρεως πολυδακρύτου ἔργ' ἀΐδηλα,
εὖ δ' ὀργὴν ἐδάητ' ἀργαλέου πολέμου·
καὶ πρὸς φευγόντων τε διωκόντων τ' ἐγένεσθε,
ὦ νέοι, ἀμφοτέρων δ' εἰς κόρον ἠλάσατε.

Qui versus non modo divellunt sententiam illam ab ista cohortatione, sed hoc ipso efficiunt, ut ad eandem recte referri nequeat. Cave enim ipsos interpolatos putes, quod quidem summae temeritatis esset in versibus tum per se Tyrtaeo dignissimis, tum optime vel cum iis, quae antecedunt, vel inter se cohaerentibus, siquidem posterius distichum prioris est *ἐπεξήγησις*. Neque ulla est caussa, qua permoveri rhapsodus potuerit, ut hos versus adiiceret. Itaque nihil restat, nisi ut lacunam statuas inter versum 10 et 11.

Atqui in eo fragmento, quod est apud Lycurgum Orat. in Leocrat. p. 212. seqq. ed. Reisk. et principem vulgo locum occupat, haec habentur v. 13. usque ad 18.

θυμῷ γῆς πέρι τῆσδε μαχώμεθα, καὶ περὶ παίδων
θνήσκωμεν, ψυχέων μηκέτι φειδόμενοι,
ὦ νέοι· ἀλλὰ μάχεσθε παρ' ἀλλήλοισι μένοντες,
μηδὲ φυγῆς αἰσχρᾶς ἄρχετε, μηδὲ φόβου.
ἀλλὰ μέγαν ποιεῖσθε καὶ ἄλκιμον ἐν φρεσὶ θυμόν,
μηδὲ φιλοψυχεῖτ' ἀνδράσι μαρνάμενοι.

Et haec est, nisi magnopere fallor, exhortatio illa, quae excidit ante v. 11. alterius fragmenti. Quod si cui pro arbitrio statuere videar, is, quaeso, finem exspectet argumentationis nostrae. Affirmo autem, his in versibus non nisi postremos binos esse Tyrtaei, antecedentes quatuor ita additos a rhapsodo, ut omitteret antiqui poetae distichum, coniunctum hodie cum rhapsodi mutatione. Nam primum quis ferat molestum istud *ἀλλὰ — μηδέ*, bis deinceps positum duobus in distichis? Deinde si quaeris, utrum ex utro expressum sit; nonne perspicue elucet, totum distichum:

θυμῷ γῆς πέρι τῆσδε μαχώμεθα, καὶ περὶ παίδων
θνήσκωμεν, ψυχέων μηκέτι φειδόμενοι,

adumbratum esse e verbis Tyrtaei aliquanto gravioribus: *μηδὲ φιλοψυχεῖτε*? nisi quod simul auctoris memoriae inhaesisse videntur verba Callini v. 6. seq.

— μάχεσθαι
γῆς πέρι καὶ παίδων — —.

Iam dico, Tyrtaeum sic cecinisse:

I, 17. *ἀλλὰ μέγαν ποιεῖσθε καὶ ἄλκιμον ἐν φρεσὶ θυμόν,*
μηδὲ φιλοψυχεῖτ' ἀνδράσι μαρνάμενοι.
II, 11. *οἳ μὲν γὰρ τολμῶσι, παρ' ἀλλήλοισι μένοντες,*
εἴς τ' αὐτοσχεδίην καὶ προμάχους ἰέναι,
παυρότεροι θνήσκουσι, etc.

rhapsodum ita:

I, 13. *θυμῷ γῆς πέρι τῆσδε μαχώμεθα, καὶ περὶ παίδων*
θνήσκωμεν, ψυχέων μηκέτι φειδόμενοι,
ὦ νέοι· ἀλλὰ μάχεσθε παρ' ἀλλήλοισι μένοντες,
μηδὲ φυγῆς αἰσχρᾶς ἄρχετε, μηδὲ φόβου.
II, 11. *οἳ μὲν γὰρ τολμῶσι, παρ' ἀλλήλοισι μένοντες,*
εἴς τ' αὐτοσχεδίην καὶ προμάχους ἰέναι,
παυρότεροι θνήσκουσι, etc.

Quis est, quin videat, rhapsodum emendare voluisse Tyrtaeum, addito *παρ' ἀλλήλοισι μένοντες*, quo magis scilicet sequentibus responderet sententia? Ceterum Isocrate antiquior est interpolatio, siquidem is, ut Heinrichius me admonuit, verba *ψυχέων μηκέτι φειδόμενοι* manifesta imitatione expressit in Archidamo p. 135. ed. Coraii, ubi: *Αἱ γάρ*, inquit, *ἐπιφάνειαι καὶ λαμπρότητες οὐκ ἐκ τῆς ἡσυχίας, ἀλλ' ἐκ τῶν ἀγώνων γίγνεσθαι φιλοῦσιν. Ὧν ἡμᾶς ὀρέγεσθαι πρόσηκει, μήτε τῶν σωμάτων, μήτε τῆς ψυχῆς, μήτε τῶν ἄλλων, ὧν ἔχομεν, μηδενὸς φειδομένους.*

Iam quaeritur, sitne sola exhortatio ista hic inserenda, an omnia ab initio inde fragmenti, quod est

apud Lycurgum. Illud per se non inepte fieri poterit: sed non continuo verum est, si quid non est ineptum. Nempe si nihil praeterea huc retuleris, dicere non habebis, quomodo versus isti potuerint ad Lycurgum transferri. Nam si dixeris, ibi in margine olim fuisse adscriptos, locum, ubi potuerint adscribi, in toto, quod apud Lycurgum exstat, fragmento vix invenias. Quid? quod ita, ut non possint melius, cum iis cohaerent, quae apud Lycurgum proxime antecedunt, neque igitur ab his temere debent divelli.

Sed ne sic quidem lacuna prorsus expleta videri potest. Iam enim, ut nemo non videt, desiderantur quaedam inter alterius fragmenti, a Stobaeo proditi, versum 10.

— *ἀμφοτέρων δ' εἰς κόρον ἠλάσατε.*

et huius, quod Lycurgo debemus, initium:

τεθνάμεναι γὰρ καλὸν ἐνὶ προμάχοισι πεσόντα
ἄνδρ' ἀγαθόν, etc.

Et quid fiet postremis apud Lycurgum versibus, a v. inde 19? Utraque quaestio simul solvenda, et ita quidem, ut lacuna, quae remanet, his ipsis versibus expleatur. Quod quum feceris, ab initio sententiae hoc modo sese excipient:

II, 9. *καὶ πρὸς φευγόντων τε διωκόντων τ' ἐγένεσθε,*
ὦ νέοι, ἀμφοτέρων δ' εἰς κόρον ἠλάσατε.
I, 19. *τοὺς δὲ παλαιοτέρους, ὧν οὐκέτι γούνατ' ἐλαφρά,*
μὴ καταλείποντες φεύγετε τοὺς γεραιούς.

Utramque, inquit Tyrtaeus, *in bello fortunam estis experti, tam fugae, iuvenes, quam persecutionis ad satietatem usque participes. Sed fugere nolite vel senium caussa, quos inopes deserere turpe est.* Posterior haec nova sane sententia est, non pars antecedentis, sed cum hac tamen coniuncta aptissime. Ac de fugae quidem turpitudine ne potuit quidem hoc loco tacere poe-

ta nisi hanc vim habere voluit provocationem illam ad ipsorum iuvenum experientiam de belli atrocitate, ut demitterent magis, quam reciperent animum.

In fine non modo nihil offensionis habet iunctura, sed haec esse necessario debet:

I, 28. ὄφρ' ἄρα τίς χ' ἥβης ἀγλαὸν ἄνθος ἔχῃ,
ἀνδράσι μὲν θηητὸς ἰδεῖν, ἐρατός τε γυναιξίν,
ζωὸς ἐών, καλὸς δ' ἐν προμάχοισι πέσων.
1, τεθνάμεναι γὰρ καλὸν ἐνὶ προμάχοισι πεσόντα
ἄνδρ' ἀγαθόν, περὶ ᾗ πατρίδι μαρνάμενον.
ἣν δ' αὐτοῦ προλιπόντα πόλιν etc.

Qua observatione non vereor ne quis ita velit abuti, ut versu, qui est ante ultimum, reponat ἄνδρα νέον, idque a Lycurgo mutatum putet, ne antecedentia (nam haec dein patebit ab ipso oratore omnino non esse allata) nimis desiderarentur. Immo hoc dicit poeta, decorum esse iuveni, cominus pugnantem occumbere; nam ita pro patria mortem oppetere, viro forti summum esse decus, et quasi virtutis praemium, quum contra profugorum miseria et infamia nihil fingi possit intolerabilius. Ceterum omisi vltimum apud Lycurgum distichum:

ἀλλά τις, εὖ διαβάς, μενέτω ποσὶν ἀμφοτέροισιν
στηριχθεὶς ἐπὶ γῆς, χεῖλος ὀδοῦσι δακών.

quod quia rursus, et rectius quidem, apud Stobaeum v. 21. seq. reperitur, hoc loco iam a Brunckio in novissima est recensione deletum. Adscriptum videtur in margine ad verba μὴ φεύγετε v. 20; nam alibi vix potuit librarius hanc sibi sententiam annotare.

Ipse Lycurgus, meo quidem iudicio, nil nisi versum 1. usque ad 18. attulerat, omissis versibus 19. usque ad 18. attulerat, omissis versibus 19. usque ad 30, qui in Tyrtaei carmine antecedebant, utpote a proposito, ut quisque videt, alienis. Quos quum alius nescio

quis in margine suppleret, factum est, ut mox non in principio, ubi debebant, sed in fine collocarentur. Atque hoc accidisse crediderim iam ante Stobaeum, praeterquam quod is in suo Lycurgi codice supplementum istud suo loco videtur habuisse adiectum. Cur enim ea ipsa omisit, et omnia nec plura, quae hodie apud Lycurgum habemus? Non aliam, opinor, ob caussam, quam quod haec e Leocratea oratione, multum istis temporibus lectitata, cuivis erant notissima. Quocirca haec erunt apud Lycurgum non transponenda, sed posterior pars versuum resecanda, apud Stobaeum autem non explenda lacuna, sed signis notanda, quemadmodum etiam neutro loco, quae rhapsodis debentur, uncis sunt includenda, quum neque Lycurgus neque Stobaeus sine interpolationibus rhapsodorum attulisse putandi sint loca Tyrtaei.

Lacunam, iam expletam a nobis ex Lycurgo, continuo haec excipiunt apud Stobaeum v. 11. seqq.

οἳ μὲν γὰρ τολμῶσι, παρ' ἀλλήλοισι μένοντες,
εἴς τ' αὐτοσχεδίην καὶ προμάχους ἰέναι,
παυρότεροι θνήσκουσι, σάουσι δὲ λαὸν ὀπίσσω·
τρεσσάντων δ' ἀνδρῶν πᾶσ' ἀπόλωλ' ἀρετή.
οὐδεὶς ἄν ποτε ταῦτα λέγων ἀνύσειεν ἕκαστα,
ὅσσ', ἢν αἰσχρὰ πάθῃ, γίγνεται ἀνδρὶ κακά.
ἀργαλέον γὰρ ὄπισθε μετάφρενόν ἐστι δαΐζειν
ἀνδρὸς φεύγοντος δηΐον ἐν πολέμῳ.
αἰσχρὸν δ' ἐστὶ νέκυς κατακείμενος ἐν κονίῃσιν,
νῶτον ὄπισθ' αἰχμῇ δουρὸς ἐληλαμένος.

Ubi interpolatorem facile agnoscas in frigidis his et ieiunis versiculis:

οὐδεὶς ἄν ποτε ταῦτα λέγων ἀνύσειεν ἕκαστα,
ὅσσ', ἢν αἰσχρὰ πάθῃ, γίγνεται ἀνδρὶ κακά.

quos qui addidit, omisisset, credo, nisi sua cuique, ut

aiunt, placeret Helena. Neque ullus erit relictis his versibus ordo sententiarum, quem quidem iam alii hic desiderarunt. Dicit autem Tyrtaeus, pauciores cadere, qui denso agmine in primam aciem progredi audeant, neque ignobile periculum adire, sed suo cum periculo servare ordines posteriores. Contra trepidantium virorum perditam esse omnem praestantiam. Nam sive a tergo saucii excedant pugna, tale vulnus molestum esse et ignominiosum, sive caesi in pulvere iaceant vulnerati in tergo, etiam hoc esse turpissimum. Non enim πᾶσ' ἀρετὴ v. 14. *omnis bellica virtus*, sed *omnis praestantia* est, ut saepe, postulante antithesi, quae ita demum admitteret alteram illam interpretationem, si ante dixisset poeta, audacium augeri animos, quum iunctis viribus in hostem irruant. Iam, quaeso, paullo diligentius inspicias distichum a nobis damnatum, quod nectere cum antecedentibus ita voluerunt H. Stephanus et alii, ut scriberent: Οὐδ' εἷς δ' ἄν ποτε etc. Frustra; nam sane levissimum vitium est ἀσύνδετον istud. Gravius illud, quod otiosa est tota sententia. Sed hoc quoque per me feras. Quid? innumerabilia dicit mala accidere illi, qui ignominiam sibi fuga contraxerit, iamque, cur ignominiam istam tot mala sequantur, hanc ipsam ignominiam pro ratione affert? Est autem αἰσχρὰ παθεῖν non *fugere* simpliciter, sed, ut modo exposui, *ignominiam sibi fuga contrahere*. Neque audiendus est, qui verba ἢν αἰσχρὰ πάθῃ enarravit *si turpiter se gesserit*; quae ratio loquendi, ne quis erret, ab epicorum et elegiacorum usu abhorret. Additum distichum a rhapsodo, qui nomen ἀρετὴ v. 14. ita accepit, ut omnes, quod sciam, ad hunc usque diem, nominatim Koeppenius, de fortitudine, iamque non potuit non desiderare iustum sententiarum ordinem: quem ordinem sustulit ille, dum restituere conatur.

Quae deinceps sequuntur apud Stobaeum, non unam mihi dubitationem iniiciunt. Sunt autem haec, v. 21. seqq.

ἀλλά τις, εὖ διαβάς, μενέτω ποσὶν ἀμφοτέροισιν
στηριχθεὶς ἐπὶ γῆς, χεῖλος ὀδοῦσι δακών,
μηρούς τε κνήμας τε κάτω καὶ στέρνα καὶ ὤμους
ἀσπίδος εὐρείης γαστρὶ καλυψάμενος·
δεξιτερῇ δ' ἐν χειρὶ τινασσέτω ὄβριμον ἔγχος,
κινείτω δὲ λόφον δεινὸν ὑπὲρ κεφαλῆς.
ἔρδων δ' ὄβριμα ἔργα διδασκέσθω πολεμίζειν;
μηδ' ἐκτὸς βελέων ἑστάτω ἀσπίδ' ἔχων.
ἀλλά τις ἐγγὺς ἰών, αὐτοσχεδὸν ἔγχεϊ μακρῷ
ἢ ξίφει οὐτάζων, δήϊον ἄνδρ' ἑλέτω·
καὶ πόδα πὰρ ποδὶ θείς, καὶ ἐπ' ἀσπίδος ἀσπίδ' ἐρείσας,
ἐν δὲ λόφον τε λόφῳ, καὶ κυνέην κυνέῃ,
καὶ στέρνον στέρνῳ, πεπλημένος ἀνδρὶ μαχέσθω,
ἢ ξίφεος κώπην ἢ δόρυ μακρὸν ἑλών.
ὑμεῖς δ', ὦ γυμνῆτες, etc.

Ac primum aut vehementer fallor, aut repetitum v. 29. *ἀλλά τις* e v. 21. ne a rhapsodo quidem exspectari potest, Sed fecit tamen rhapsodus, si quid video, hos versus:

ἀλλά τις ἐγγὺς ἰών, αὐτοσχεδὸν ἔγχεϊ μακρῷ
ἢ ξίφει οὐτάζων, δήϊον ἄνδρ' ἑλέτω·

neque vero retinuit Tyrtaei distichum:

ἀλλά τις, εὖ διαβάς, μενέτω ποσὶν ἀμφοτέροισιν
στηριχθεὶς ἐπὶ γῆς, χεῖλος ὀδοῦσι δακών,

sed suos versus huic substituit. Ceterum haud contemnendus poeta fuit interpolator, quanquam Tyrtaeo longe inferior. Qui interpolata illa excipiunt, quatuor versus:

καὶ πόδα πὰρ ποδὶ θείς, καὶ ἐπ' ἀσπίδ' ἐρείσας,
ἐν δὲ λόφον τε λόφῳ, καὶ κυνέην κυνέῃ,

καὶ στέρνον στέρνῳ, πεπλημένος ἀνδρὶ μαχέσθω,
ἢ ξίφεος κώπην ἢ δόρυ μακρὸν ἑλών.

hi igitur versus lusum continent a simplicitate antiqui poetae quam maxime abhorrentem. Erunt fortasse, quibus e contrario hi versus omnium maxime placeant. Sed hi diffidant velim sensui suo, et conferant simillimam, quae est apud Homerum. interpolationem. Nimirum haec leguntur in Odyssea η, 120. seq.

ὄγχνη ἐπ' ὄγχνῃ γηράσκει, μῆλον δ' ἐπὶ μήλῳ,
αὐτὰρ ἐπὶ σταφυλῇ σταφυλή, σῦκον δ' ἐπὶ σύκῳ.

Quos versus propter eandem istam ludicram elegantiam sine ulla haesitatione Homero abiudicarem, etiamsi non alia quoque accederet difficultas, quam sensit Schützius in Observationibus Criticis in aliquot Odysseae loca, editis a. 1793. m. Aug. sed ad miram quandam ac prorsus inauditam interpretationem confugit. *Hic*, inquit, *interpretes vocabulum σταφυλὴ de uvis proprie sic dictis accipiunt. Sed hoc incommodum est propterea, quod nec antea in arborum enumeratione vitis erat nominata, et statim diserta sequitur vineae descriptio. Quaerendum igitur, an σταφυλὴ forte Homeri aetate de baccis olivarum usurpatum fuerit, quemadmodum στέμφυλα aeque olivarum fraces atque uvarum in torculari expressarum retrimenta notat.* Acquiescat, qui volet, in hoc perfugio: nos interpolatori relinquamus uvas suas. Nec dubitamus in his, quae habentur Iliad. v. 130. seqq.

φράξαντες δόρυ δουρί, σάκος σακεῖ προθελύμνῳ·
ἀσπὶς ἄρ ἀσπίδ' ἔρειδε, κόρυς κόρυν, ἀνέρα δ' ἀνήρ·
ψαῦον δ' ἱππόκομοι κόρυθες etc.

medium versum interpolatori tribuere, praesertim quum nihil aliud sit *κόρυς κόρυν ἔρειδε*, quam *ψαῦον κόρυθες* versu proximo, ubi aperte consulto variata oratio. Haeccine vero an nostra antiquior sit interpolatio

(apparet autem, alterutram ex altera esse ductam) viderint alii. Sed apud Tyrtaeum prius distichum non est quidni eidem rhapsodo tribuas, cui mutationem illam deberi vidimus: posterius nullus dubito quin sit a recentiore quodam homine adiectum. Diversum enim huius auctorem haec produnt:

πεπλημένος ἀνδρὶ μαχέσθω,
ἢ ξίφεος κώπην ἢ δόρυ μακρὸν ἑλών.

quae quidem haud dubie omissurus fuisset rhapsodus ille, qui ante iam dixerat:

αὐτοσχεδὸν ἔγχεϊ μακρῷ
ἢ ξίφει οὐτάζων, δήϊον ἄνδρ' ἑλέτω.

alius autem ex his ipsis exprimere potuit, quo scilicet ope rhapsodi illius feliciter ad finem perduceret distichum, inceptum invita Minerva. Neque vero alius quidam rhapsodus posterius distichum istud fecisse existimandus est, sed is, qui illius rhapsodi versus e margine transtulit in verba Tyrtaei. Quid enim? Rhapsodus ille mea quidem coniectura, quae specie, ut sequentia declarabunt, quam re audacior est, sic cecinit:

29. *ἀλλά τις ἐγγὺς ἰών, αὐτοσχεδὸν ἔγχεϊ μακρῷ*
ἢ ξίφει οὐτάζων, δήϊον ἄνδρ' ἑλέτω,
25. *μηρούς τε κνήμας τε κάτω καὶ στέρνα καὶ ὤμους*
ἀσπίδος εὐρείης γαστρὶ καλυψάμενος,
31. *καὶ πόδα πὰρ ποδὶ θείς, καὶ ἐπ' ἀσπίδος ἀσπίδ' ἐρείσας,*
ἐν δὲ λόφον τε λόφῳ, καὶ κυνέην κυνέῃ·
25. *δεξιτερῇ δ' ἐν χειρὶ τινασσέτω ὄμβριμον ἔγχος,*
κινείτω δὲ λόφον δεινὸν ὑπὲρ κεφαλῆς.
ἔρδων δ' ὄμβριμα ἔργα διδασκέσθω πολεμίζειν,
μηδ' ἐκτὸς βελέων ἑστάτω ἀσπίδ' ἔχων.
35. *ὑμεῖς δ', ὦ γυμνῆτες,* etc.

Primum quod posui, distichum, rhapsodi esse mutationem docui versuum 21. et 22; secundum porro, illorum, quibus primum illud a rhapsodo est substitutum,

proximum erat apud Tyrtaeum, neque omissum a rhapsodo vel per se potest videri, quum ratio, cur omitteret, fuerit nulla; tertium denique, additum a rhapsodo, nusquam alibi habet locum, siquidem separari debet a versibus, de quibus nunc potissimum agitur, 33. seq.

καὶ στέρνον στέρνῳ, πεπλημένος ἀνδρὶ μαχέσθω,
ἢ ξίφεος κώπην ἢ δόρυ μακρὸν ἑλών.

alienis, ut modo videmus, tam a rhapsodo nostro, quam a Tyrtaeo. Atqui parum credibile est, medium illud Tyrtaei distichum, *μηρούς τε κνήμας τε* etc. positum semel inter antiqui poetae versus, ab eo, qui *διαφωνίαν* sibi in margine annotabat, ibi iterum esse scriptum. Immo satis habuit et mutationem rhapsodi et additamentum deinceps adscribere, sicut hodie habentur v. 29. usque ad 32.

ἀλλά τις ἐγγὺς ἰών, αὐτοσχεδὸν ἔγχεϊ μακρῷ
ἢ ξίφει οὐτάζων, δήϊον ἄνδρ' ἑλέτω.
καὶ πόδα πὰρ ποδὶ θείς, καὶ ἐπ' ἀσπίδος ἀσπίδ' ἐρείσας,
ἐν δὲ λόφον τε λόφῳ, καὶ κυνέην κυνέῃ.

Quae quoniam ita deinceps posita mutilam in fine praebent sententiam, hanc necessario, si quis versus istos ibi, ubi nunc leguntur; eodem modo inserere voluit, supplere debebat de suo; id quod factum videmus adiecto disticho illo, quod rhapsodo non minus, quam Tyrtaeo, esse docui abiudicandum. Tyrtaeo nonnisi haec debentur:

21. *ἀλλά τις, εὖ διαβάς, μενέτω ποσὶν ἀμφοτέροισιν*
στηριχθεὶς ἐπὶ γῆς, χεῖλος ὀδοῦσι δακών,
μήρους τε κνήμας τε κάτω καὶ στέρνα καὶ ὤμους
ἀσπίδος εὐρείης γαστρὶ καλυψάμενος·
δεξιτερῇ δ' ἐν χειρὶ τινασσέτω ὄμβριμον ἔγχος,
κινείτω δὲ λόφον δεινὸν ὑπὲρ κεφαλῆς.

ἔρδων δ' ὄμβριμα ἔργα διδασκέσθω πολεμίζειν,
μηδ' ἐκτὸς βελέων ἑστάτω ἀσπίδ' ἔχων.
35. ὑμεῖς δ', ὦ γυμνῆτες, etc,

Accessit postea et mutatio et additamentum rhapsodi, iunctim inserta loco alieno, aucta etiam novo disticho ad integritatem truncatae hoc modo sententiae utcunque restituendam.

Quae quum ita sint, totum fragmentum, ut olim est a Tyrtaeo profectum, praeter distichum, initio statim e Strabonis margine supplendum, hos versus complectebatur: II, 1 — 10. I, 19 — 30. 1 — 12. 17. 18. II, 11 — 14. 17 — 28. 35 — 38. ita vero, ut a rhapsodo mutatum, hos versus: II, 1 — 10. I, 12 — 30. 1 — 16. II, 11 — 20. 29. 30. 23. 24. 31. 32. 25 — 28. 35 — 38. quibus adde distichum, interpolationis cum Tyrtaeo coagmentandae caussa compositum, II, 33 et 34. Nobis igitur totum fragmentum sic fuit constituendum, ut post distichum illud e Strabone assumtum haec sequerentur: II, 1 — 10. I, 19 — 30. 1 — 18. II, 11 — 38. et uncis includerentur hi versus: I, 13 — 16. II, 15. 16. 29 — 34.

Integra est, ut dein patebit, elegia, quae vulgo ordine tertia est, prodita a Stobaeo Serm. XLIX. a pluribus illa rhapsodis interpolata. Et huius quidem hoc est initium:

Οὔτ' ἂν μνησαίμην, οὔτ' ἐν λόγῳ ἄνδρα τιθείμην,
οὔτε ποδῶν ἀρετῆς, οὔτε παλαισμοσύνης,
οὐδ' εἰ Κυκλώπων μὲν ἔχοι μέγεθός τε βίην τε,
νικῴη δὲ θέων Θρηΐκιον Βορέην·
οὐδ' εἰ Τιθωνοῖο φυὴν χαριέστερος εἴη,
πλουτοίη δὲ Μίδεω καὶ Κινύρεω βάθιον·
οὐδ' εἰ Τανταλίδεω Πέλοπος βασιλεύτερος εἴη,
γλῶσσαν δ' Ἀδρήστου μειλιχόγηρυν ἔχοι·
οὐδ' εἰ πᾶσαν ἔχοι δόξαν, πλὴν θούριδος ἀλκῆς.
οὐ γὰρ ἀνὴρ ἀγαθὸς γίγνεται ἐν πολέμῳ,
εἰ μὴ τετλαίη μὲν ὁρῶν φόνον αἱματόεντα, etc.

In quibus plus quam suspectos habeo versum 9 et 10.

οὐδ' εἰ πᾶσαν ἔχοι δόξαν, πλὴν θούριδος ἀλκῆς.
οὐ γὰρ ἀνὴρ ἀγαθὸς γίγνεται ἐν πολέμῳ,

qui versus vel propterea, quod optimi et antiquissimi poetae elegiaci aegre sententiam hexametro terminant, possunt esse suspecti. Ac sane verba *οὐδ' εἰ πᾶσαν ἔχοι δόξαν* hominis sunt intempestive verentis, ne quid omissum desideretur; haec autem: *πλὴν θούριδος ἀλκῆς,* quamvis per se gravissima, et Homerica, notante Koeppenio, praebent tamen hoc loco bellicae virtutis oppositionem multo minus concinam, quam quae efficitur omisso hoc disticho; pentameter denique languidus est et ieiunus. Quid? quod Platoni, cui aliam antiquiorem interpolationem, hoc ipso disticho rursus interpolatam, cognitam fuisse paullo post patebit, hoc distichum fuit ignotum. Nam Plato Leg. I. p. 629. A: *προστησώμεθα γοῦν,* inquit, *Τύρταιον, τὸν φύσει μὲν Ἀθηναῖον, τῶνδε δὲ πολίτην γενόμενον, ὃς δὴ μάλιστα ἀνθρώπων περὶ ταῦτα ἐσπούδακεν, εἰπὼν, ὅτι*

οὔτ' ἂν μνησαίμην, οὔτ' ἐν λόγῳ ἄνδρα τιθείμην,

οὔτ' εἴ τις πλουσιώτατος ἀνθρώπων εἴη, φησίν, οὔτ' εἰ πολλὰ ἀγαθὰ κεκτημένος (εἰπὼν σχεδὸν ἅπαντα), ὃς μὴ περὶ τὸν πόλεμον ἄριστος γίγνοιτο. ubi vulgo *γίγνοιτ'* cum apostopho scriptum habemus, assumta vocula *ἀεὶ*, quam ad proximam pertinere sententiam iam ante monui. Apparet, in versibus, quos memoriter Plato respexit, hanc fuisse syntaxin: *οὔτ' ἂν μνησαίμην ἄνδρα — εἰ μὴ τετλαίη* etc. afuisse igitur distichum illud, quod hanc turbat constructionem. Idem confirmant verba Platonis *εἰπὼν σχεδὸν ἅπαντα,* quae nil nisi versum 5. usque ad 8. significant. Ceterum quum Platone recentius distichum sit, de quo loquimur, est tamen aut antiquius alio, de quo mox dicendum, aut eiusdem auctoris. Sed

ne omissis quidem versibus istis, Platoni ignotis, antiquissimi poetae verba sine rhapsodi cuiusdam amplificatione mihi legere videor. Quid enim? Nonne rhetoricam elegantiam sapit negatio toties repetita? nonne magis etiam ab antiqui poetae simplicitate distat omnis sententia v. 5. usque ad 8? nonne et ipse Tyrtaeus v. 2.

οὔτε ποδῶν ἀρετῆς, οὔτε παλαισμοσύνης,

perspicue indicat, se de venustate, divitiis, imperio et facundia minime cogitasse? Nempe hoc unum dicit Tyrtaeus, dotes, quibus excellere miles possit, celeritatem et luctandi dexteritatem (non dotes eximias qualescunque) nihili esse, neque si tantae sint, ut excedere videantur modum humanum, nisi coniunctas cum fortitudine. Quapropter non dubito, quin haec sola sint a Tyrtaeo profecta:

1. *Οὔτ' ἂν μνησαίμην, οὔτ' ἐν λόγῳ ἄνδρα τιθείμην,*
οὔτε ποδῶν ἀρετῆς, οὔτε παλαισμοσύνης,
οὐδ' εἰ Κυκλώπων μὲν ἔχοι μέγεθός τε βίην τε,
νικῴη δὲ θέων Θρηΐκιον Βορέην,
11. *εἰ μὴ τετλαίη μὲν ὁρῶν φόνον αἱματόεντα,* etc.

Cyclopes ad *παλαισμοσύνην* spectant, Boreas ad *ποδῶν ἀρετήν.*

Haud procul post nemo non videt aequabilitatis gratia adiectos esse versum 19 et 20.

θαρσύνῃ δὲ πεσεῖν τὸν πλησίον ἄνδρα παρεστώς.
οὗτος ἀνὴρ ἀγαθὸς γίγνεται ἐν πολέμῳ·

aut ab eodem rhapsodo, qui fecit v. 9 et 10.

οὐδ' εἰ πᾶσαν ἔχοι δόξαν, πλὴν θούριδος ἀλκῆς.
οὐ γὰρ ἀνὴρ ἀγαθὸς γίγνεται ἐν πολέμῳ,

aut ab alio postea. Laborat enim illud distichum iisdem vitiis, hexametri claudentis sententiam, languidique pentametri, ne quid dicam de usu articuli non satis

Homerico. Respondet autem hexameter versui, qui illic subsequitur:

εἰ μὴ τετλαίη μὲν ὁρῶν φόνον αἱματόεντα.

Sed verbo haec attigisse sufficiet. Non enim vereor, ne cui mox v. 21. durior forte videatur assumtio pronominis *οὗτος* ad verbum *ἔτρεψε*, similis illa assumtioni pronominis *τοιοῦτος* ad *μετέσσεται* I, 7 (51.). Ita nimirum procedunt Tyrtaei versus:

15. *ξυνὸν δ' ἐσθλὸν τοῦτο πόληΐ τε παντί τε δήμῳ,*
ὅς τις ἀνὴρ διαβὰς ἐν προμάχοισι μένῃ
νωλεμέως, αἰσχρᾶς δὲ φυγῆς ἐπὶ πάγχυ λάθηται,
ψυχὴν καὶ θυμὸν τλήμονα παρθέμενος.
21. *αἶψα δὲ δυσμενέων ἀνδρῶν ἔτρεψε φάλαγγας* etc.

Eundem militem, rapide irruentem in hostes, eosque in fugam impetu suo convertentem, cadentem ponit v. 23. neque aliter deinde pergit v. 27.

τὸν δ' ὀλοφύρονται μὲν ὁμῶς νέοι ἠδὲ γέροντες,
ἀργαλέῳ τε πόθῳ πᾶσα κέκηδε πόλις·
καὶ τύμβος καὶ παῖδες ἐν ἀνθρώποις ἀρίσημοι
καὶ παίδων παῖδες καὶ γένος ἐξοπίσω·
οὐδέ ποτε κλέος ἐσθλὸν ἀπόλλυται, οὐδ' ὄνομ' αὐτοῦ·
ἀλλ' ὑπὸ γῆς περ ἐὼν γίγνεται ἀθάνατος.

Hinc vero, ut nouae interpolationis notationem statim subiungam, continuo sequuntur otiosi plane hi versus:

ὅν τιν' ἀριστεύοντα μένοντά τε, μαρνάμενόν τε
γῆς πέρι καὶ παίδων, θοῦρος Ἄρης ὀλέσῃ.

quibus immane quantum enervatur oratio, ne quidem dicam de homoeoteleutis.

Finis elegiae hodie ita se habet a v. inde 35.

εἰ δὲ φύγῃ μὲν κῆρα τανηλεγέος θανάτοιο,
νικήσας δ' αἰχμῆς ἀγλαὸν εὖχος ἕλῃ,

πάντες μιν τιμῶσιν, ὁμῶς νέοι ἠδὲ παλαιοί;
πολλὰ δὲ τερπνὰ παθὼν ἔρχεται εἰς Ἀΐδην.
γηράσκων δ' ἀστοῖσι μεταπρέπει, οὐδέ τις αὐτόν
βλάπτειν οὔτ' αἰδοῦς οὔτε δίκης ἐθέλει·
πάντες δ' ἐν θώκοισιν, ὁμῶς νέοι οἵ τε κατ' αὐτόν,
εἴκουσιν χώρης, οἵ τε παλαιότεροι.
ταύτης νῦν τις ἀνὴρ ἀρετῆς εἰς ἄκρον ἱκέσθαι
πειράσθω θυμῷ, μὴ μεθιεὶς πολέμου.

Sed confido, si quis hactenus totum carmen, quemadmodum olim erat ab ipso Tyrtaeo factum, attente perlegerit, neque sit ingenio tam obtuso, ut mediocrem poetam a Tyrtaeo discernere nequeat, hunc semel monitum facile intellecturum, antiquitus finitum fuisse carmen v. 38.

πολλὰ δὲ τερπνὰ παθὼν ἔρχεται εἰς Ἀΐδην.

Adeo dehinc remissa sunt omnia, deficiunt ab antecedentium gravitate. Nec bene cohaerent sententiae. An est credibile, Tyrtaeum, quum dixerit, victorem ex bello reducem ab omnibus honorari, iuuenibus aeque ac senibus, eandem sententiam denuo fuisse, uno versu interiecto, novae instar sententiae copiosius et tamen ex parte tantum propositurum? Ex parte inquam, quum mox ad senem duntaxat referatur, quod prius fuerat universe dictum. Ceteroquin autem eandem esse sententiam, licet diversam exspectes, manifestum est. Quid enim aliud est v. 37. *πάντες μιν τιμῶσιν,* quam v. 39. *ἀστοῖσι μεταπρέπει,* et quae praeterea hic reverentiae signa commemorantur? Fac tamen, posteriorem sententiam uberiorem posse prioris expositionem haberi legitimam. Qui tandem poeta, si priorem voluit pluribus persequi, inserere versum potuit illum, quem nos postremum olim fuisse censemus? qui quidem versus talem expositionem mortis facta mentione excludit. Sunt etiam alia interpolationis indicia, sed ea quidem

eiusmodi, ut ostendant, ne a rhapsodo quidem ita, ut nunc habetur, constitutum fuisse exitum elegiae. Nam si paullo diligentius inquiras in v. 41. seq.

πάντες δ' ἐν θώκοισιν, ὁμῶς νέοι οἵ τε κατ' αὐτὸν,
εἴκουσιν χώρης; οἵ τε παλαιότεροι.

facile apparebit, ex mente auctoris nullum ibi nisi iuvenum, virorum et senum, minime vero quorundam in ipsa senectute annorum discrimen in censum venire, neque *παλαιοτέρους* sene scilicet intelligi seniores. Et tamen ineptam hanc interpretationem postulat distichum antecedens. Hoc igitur ab eo, qui primus composuit versus illos, omissum fuisse necesse est. Idem statuere cogit comparatio versus 37.

πάντες μιν τιμῶσιν, ὁμῶς νέοι ἠδὲ παλαιοί.

Quis enim est, quin videat, rhapsodum non tam simpliciter amplificare, quam amplificando corrigere voluisse Tyrtaei sententiam, additis nimirum, quos male neglectos putabat, *τοῖς κατ' αὐτόν*? Quod quam parum prospere cesserit homini, exponere nihil opus est. Praestat statim aperire, quid igitur in his versibus rhapsodo acceptum referamus. Cecinit ita, nisi me omnia fallunt:

35. *εἰ δὲ φύγῃ μὲν κῆρα τανηλεγέος θανάτοιο,*
νικήσας δ' αἰχμῆς ἀγλαὸν εὖχος ἕλῃ,
37. 41. *πάντες μιν τιμῶσιν· ὁμῶς νέοι οἵ τε κατ' αὐτόν.*
εἴκουσιν χώρης, οἵ τε παλαιότεροι.
ταύτης νῦν τις ἀνὴρ ἀρετῆς εἰς ἄκρον ἱκέσθαι
πειράσθω θυμῷ, μὴ μεθιεὶς πολέμου.

Atque ita medium in his distichum recepit Theognis v. 929 (913.). seqq.

παύροις ἀνθρώπων ἀρετὴ καὶ πλοῦτος ὀπηδεῖ.
ὄλβιος, ὃς τούτων ἀμφοτέρων ἔλαχεν.
πάντες μιν τιμῶσιν· ὁμῶς νέοι οἵ τε κατ' αὐτόν
εἴκουσιν χώρης, οἵ τε παλαιότεροι.

nempe audito, quemadmodum in rhapsodorum ore versabatur, non lecto carmine. Unde in transitu discas, caute versandum esse in delendis apud Theognidem versibus alienis; id quod alio etiam exemplo patebit ad huius Eleg. v. 13. Epiphonema rhapsodi eundem spectat versum 13. et seq.

ἣ δ' ἀρετή, τό τ' ἄριστον ἐν ἀνθρώποισιν ἄεθλον,
κάλλιστόν τε φέρειν γίγνεται ἀνδρὶ νέῳ.

unde luculenter apparet, quod dixi principio, integram hanc esse elegiám. Sed rhetoricum quiddam sapit clausula ista, aptiorque videtur ad restinguendum ardorem animi, quam ad incendendum. Divinitus carmen fuerat a Tyrtaeo finitum, quem emendasse scilicet sibi visus est interpolator. Quum tamen iudicium de hoc disticho unice ad sensum redeat, de quo disputare lubricum est, satius putavi, in hoc quidem postremo disticho uncos omittere. Tyrtaei et rhapsodi versus, qui mox conglutinavit, sua quaedam inculcare coactus est. Inseruit igitur haec, v. 39. seqq.

γηράσκων δ' ἀστοῖσι μεταπρέπει, οὐδέ τις αὐτόν
βλάπτειν οὔτ' αἰδοῦς οὔτε δίκης ἐθέλει·
πάντες δ' ἐν θώκοισιν,

ubi nostrum non est, de memorabili usu genitivi disserere. Ceterum binos in his versus integros per errorem venisse in Theognidea v. 1231. seq. superiorum editionum, monuisse sat est: unde, et quonam errore, quaerant alii; indicandum Brunckio fuisset, qui tacite versus omisit. Haec scripseram, antequam copia mihi facta erat editionis Bekkeri, viri celeberrimi, quem esse suis codicibus nimis hic obsecutum, in revocandis autem versibus alienis, ut ubique, sic etiam hoc loco modum excesisse non minus, quam Brunckium saepe in omittendis, facile est intellectu, siquidem ille hoc modo locum constituit, v. 933. seqq.

Παύροις ἀνθρώπων ἀρετὴ καὶ κάλλος ὀπηδεῖ·
ὄλβιος ὃς τούτων ἀμφοτέρων ἔλαχεν.
πάντες μιν τιμῶσιν· ὁμῶς νέοι, οἵ τε κατ' αὐτὸν
χώρης εἴκουσιν, τοί τε παλαιότεροι.
γηράσκων δ' ἀστοῖσι μεταπρέπει, οὐδέ τις αὐτὸν
βλάπτειν οὔτ' αἰδοῦς οὔτε δίκης ἐθέλει.

Nam primum, quod in cod. Mut. verba *εἴκουσιν χώρης* (de lectione *κάλλος* enim nostrum non est Brunckii firmare iudicium) transposita leguntur ita: *χώρης εἴκουσιν*, quodque inde corrupta exstat in cod. Vat. lectio *χώροις εἴκουσιν*, hanc librarii esse traiectionem, vel relictum in posteriore hoc codice *οἵ* declarat, mutatum in *τοὶ* ex altero illo ab editore; modo assumseris argumentum praecipuum, quod duci potest pro vulgato ordine ex loco Tyrtaei. Habes enim apud Theognidem seriam Tyrtaei seu potius rhapsodi illius versuum parodiam: in hac autem servata fuisse, quantum fieri posset, ipsa illius verba, consentaneum est. Sin quis in Tyrtaeo factam credat transpositionem ab eo, qui primus ibi scripserit *ἐκ χώρης* pro *χώρης*, et hinc etiam in Theognidea translatam, haec ratio probabilitate carebit propterea, quod *ἐκ* non comparet apud Theognidem. Deinde quod attinet ad accessionem distichi: *γηράσκων δ' ἀστοῖσι* etc. hoc distichum ne ipse quidem novissimus editor videtur adiectum credidisse ab ipso Theognide.

Collectis his omnibus efficitur, Tyrtaei esse hos versus: 1 — 4. 11 — 18. 21 — 32. 35 — 38, qui integrum aliquod fortitudinis encomium efficiunt Tyrtaeo sane dignissimum omnibusque numeris absolutum, fortasse etiam 43 et 44, hos autem rhapsodis deberi: 5 — 10. (et versum quidem 9 et 10. posteriori rhapsodo) 19. 20. (qui versus eiusdem sunt aut tertii alicuius) 33. 34. et quae sequuntur a dimidio inde versu 41, subiuncto illo ab interpolatore priori hemisticho versus 38, usque

ad v. 42 aut 44, hos denique versus homini, qui Tyrtaeum voluit cum rhapsodo conciliare: 39. usque ad priorem partem versus 41.

Breviora Tyrtaei fragmenta vulgo sparsa magis et diffusa, quam consilio disposita atque digesta. Quam si tollere volumus perturbationem, ante omnia considerandum est, duplex fuisse genus elegiarum Tyrtaei, bellicum et civile; qua de re mox dicam uberius. Maiores igitur illae reliquiae quum fuerint bellicae, his consentaneum est subiungi minores eiusdem generis. Sunt autem praeter binos singulos versus tria tantum huius generis fragmenta minora, eaque unius eiusdemque elegiae, unius igitur laceri fragmenti instar habenda. Quorum primum, quod vulgo quartum est omnium, exstat apud Strabonem VI. p. 279. (428.), et disiunctim apud Pausaniam IV. p. 315. et 312., secundum et tertium, vulgo sextum (coniunxit enim utrumque iam Brunckius), ibidem p. 313. Haec igitur omnia in nostra recensione iunctim posita sunt tertio loco hunc in modum:

ἀμφ᾽ αὐτὴν δ᾽ ἐμάχοντ᾽ ἐννεακαίδεκ᾽ ἔτη
νωλεμέως, αἰεὶ ταλασίφρονα θυμὸν ἔχοντες,
αἰχμηταὶ πατέρων ἡμετέρων πατέρες.
εἰκοστῷ δ᾽ οἱ μὲν κατὰ πίονα ἔργα λιπόντες
φεῦγον Ἰθωμαίων ἐκ μεγάλων ὀρέων.

* * * * * * * * *

ὥσπερ ὄνοι μεγάλοις ἄχθεσι τειρόμενοι,
δεσποσύνοισι φέροντες ἀναγκαίης ὕπο λυγρῆς
ἥμισυ πᾶν, ὅσσον καρπὸν ἄρουρα φέρει.

* * * * * * * * *

* * * * * * * *

δεσπότας οἰμώζοντες, ὁμῶς ἄλοχοί τε καὶ αὐτοί,
εὖτέ τιν᾽ οὐλομένη μοῖρα κίχοι θανάτου.

Abiecerant animum Lacedaemonii, quum adveniret Tyrtaeus, adversam belli fortunam eo usque experti, nullam ut spem victoriae sibi relictam putarent. Verum Tyrtaeus hoc carmine in memoriam iis revocavit maiores, de eadem Messenia per integros undeviginti annos frustra certantes, sed impigros, tandemque anno vicesimo victoriam reportantes tanquam praemium patientiae suae. Quippe hanc esse sententiam priorum versuum, perspicuum est, imprimis e verbis *αἰεὶ ταλασίφρονα θυμὸν ἔχοντες*, quae verba quis dubitet quin addita sint ad similem perseverantiam etiam praesente in bello militibus commendandam? In binis posterioribus frustulis subiicit poeta, quam acerba hostium castigatione iisdem compensatae tot annorum aerumnae sint, spem deinceps Lacedaemoniis iniecturus sumendi ab hoste similem ultionem, fortasse etiam demonstraturus, quam turpe sit vinci ab iis, quos maiores redegerint in servitutem. Certe non video, quonam alio consilio Tyrtaeus potuerit miseram illam Messeniorum conditionem describere. Utcunque sit, hoc saltem apertum est, omnia illa continuae narrationis fragmenta esse habenda, eamque ad bellicum carmen pertinuisse. Poterant quidem commemorari Messenii a maioribus domiti et subacti, adeoque re vera commemorabantur etiam in civili elegia, sed obiter, et ita, ut ad auctorem Theopompum regem victoria referretur, nempe ad obedientiam legi conciliandam, qua coercita plebs erat ab illo rege eiusque collega imperii Polydoro; quod quid sit, paullo post clarius apparebit. Non audiendus igitur, qui versus, de quibus nunc sermo est, traxit ad Eunomiam. Restat pentameter et hexameter, alter a Plutarcho de Stoic. Repugn. p. 1036. E. alter a Galeno de Hippocrat. et Plat. Placitis, Opp. T. V. p. 118. ed. Charter. memoriae proditus, vulgo positi loco decimo et undecimo, nobis quarto et quinto.

Nunc vero tempus est indicare, de Eunomia, saepius nobis iam memorata, quid sit statuendum. Qua in quaestione silentio fere praetermittam varios de hac poesi errores, quos si cui operae pretium videtur cognoscere, Harlesium consulat ad Fabric. Bibl. Gr. T. I. p. 740. addito, si placebit, scriptoribus ibi laudatis Mansone in Sparta Vol. I. Part. II. p. 69. et 285. Fuit autem Eunomia civilium Tyrtaei omnium elegorum sic facta collectio quaedam, ut unam poesin efficerent universi. Eos intelligo, quibus turbas poeta composuit, a Lacedaemoniis motas partim durante adhuc, partim confecto bello; id quod fecisse Tyrtaeum notum est e Pausania IV. p. 323. *ὥστε καὶ ἐποιήσαντο οἱ Λακεδαιμόνιοι δόγμα, ἅτε τοῖς ἐν τῇ Εἴρᾳ μᾶλλον ἢ σφίσιν αὐτοῖς γεωργοῦντες, τὴν Μεσσηνίαν καὶ τῆς Λακωνικῆς τὴν προσεχῆ, ἕως ἂν πολεμῶσιν, ἐᾷν ἄσπορον. Καὶ ἀπὸ τούτου σιτοδεία ἐγένετο ἐν Σπάρτῃ, καὶ ὁμοῦ τῇ σιτοδείᾳ* (suspecta verba *ἐγένετο ἐν Σπάρτῃ* hic iterata) *στάσις. οὐ γὰρ ἠνείχοντο οἱ ταύτῃ τὰ κτήματα ἔχοντες, τὰ σφέτερα ἀργὰ εἶναι. Καὶ τούτοις μὲν τὰ διάφορα διέλυε Τυρταῖος.* item ex Aristotele Polit. V. 7., ubi varios seditionum fontes enumerans, nonnunquam eas inde oriri dicit, quod in bellis maxime alii egestate premantur, alii divitiis abundent, et ita pergit: *συνέβη δὲ καὶ τοῦτο ἐν Λακεδαίμονι ὑπὸ τὸν Μεσσηνιακὸν πόλεμον* (*sub bellum Messeniacum*, hoc est bello ad finem vergente et post continuo). *δῆλον δε καὶ τοῦτο* (hoc est *τοῦτο καί*: conf. Schaeferi Ind. ad Corpus Poet. Gr. Sophocli adiunctus v. *καί*) *ἐκ τῆς Τυρταίου ποιήσεως τῆς καλουμένης Εὐνομίας. θλιβόμενοι γάρ τινες διὰ τὸν πόλεμον ἠξίουν ἀνάδαστον ποιεῖν τὴν χώραν.* Qui locus ad pacificum Tyrtaeum, prae bellico fere neglectum, viris eruditis in memoriam revocandum occasionem dedit Schlossero Annot. ad versionem Germanicam libri Aristotelici T. II. p. 193., quem alii postea sunt secuti. Iam vero Eunomiam *ποίησιν* vocat Aristoteles, neque aliter Strabo loco ante emendato, VIII. p. 362. (556.): *ἐν τῇ ἐλεγείᾳ*

ποιήσει, ἣν ἐπιγράφουσιν Εὐνομίαν. Est autem ποίησις non poema, sed poematum continua series, volumen poematum, quae unum aliquod corpus efficiunt, veluti Ilias vocatur ποίησις, singulae eius rhapsodiae ποιήματα. Quod quum discere viri docti potuerint vel ex Thesauris Stephani et Gesneri, tum etiam Aphthonio et Varrone, quorum de hoc usu loquendi observationes ibi allatae reperiuntur, accedunt Marius Victorinus Art. Grammat. I. p. 2500. et Diomedes III. p. 469., quae loca corruptissima emendet, cui tanti videbitur. Ac ne quis vanam hanc esse credat grammaticorum distinctionem, quae Gesneri mens fuisse videtur, potest quidem quodvis opus poeticum in genere poesis dici, potest etiam, quidquid poeta aliquis fecit poematum, tota eius poesis vocari: certum quoddam poema poesis appellari minime potest. Ubicunque igitur de certa quadam poesi sermo est, intelligendum corpus poematum. Loca grammaticorum ita loquentium infinitum est recensere. Unum de multis ponam, Eustathii p. 5.: ὅτι ἓν μέν τι σῶμα συνεχὲς διόλου καὶ εὐάρμοστον ἡ τῆς Ἰλιάδος ποίησις· οἱ δὲ συνθέμενοι ταύτην, κατ' ἐπιταγήν, ὥς φασι, Πεισιστράτου etc. Atque hanc veram esse et antiquissimam rationem loquendi, vel ipsa declarant nomina Ἰλιὰς et Ὀδυσσεία, ubi supplendum esse ποίησις, nemo ignorat: quanquam grammaticos interdum immemores huius supplementi fuisse, vel ipsum illud Eustathii ostendit. Quam late patuerit Eunomiae argumentum, et haec significat inscriptio carminis, et alia, cuius notitiam Suidae debemus v. Τυρταῖος: ἔγραψε Πολιτείαν Λακεδαιμονίοις. Nempe ab anarchia Tyrtaeus reduxit Lacedaemonios ad legum obedientiam et ad iustum reipublicae statum. Et ipse quidem Tyrtaeus hoc ita fecit, ut postea Solon, canendis singulis elegiis: coniunctio facta, quum litteris mandarentur carmina, circa Pisistratidarum tempora; quomodo, vix licuerit divinare, quum prorsus fuerit singularis ista collectio civilium elegorum. Quo maior

est Eunomiae iactura, utpote nulla nobis simili poesi compensata.

Iam si quaeris, quae tandem fragmenta pertineant ad Eunomiam, nullum est, quod testis cuiusdam fide ad hanc referatur, praeter unicum illud distichum e Strabone iam ante allatum, nostra in editione sextum, vulgo V, 3. et 4. Nec sane Strabonis testimonio si destituti essemus, huic disticho locum suum per coniecturam assignare liceret, quum, quos comites in Laconicam secum Tyrtaeus attulerat, eorum illo in disticho fiat mentio, haec vero fieri variis modis potuerit in quovis etiam bellico carmine.

Enimvero aliud est Eunomiae fragmentum, in quo facile caremus simili testimonio, septimum et octavum in superioribus, septimum in nostra recensione, servatum priore ex parte a Pausania IV, 6. p. 294., nisi quod initio accessit Polydori nomen, in fine integer versus, quem ex Schol. Platon. ad Alcibiad. I. p. 122. e. hic esse addendum, vidit Buttmannus, vir celeberrimus, in tert. edit. Platonis Dialogorum Biesteri pag. 151., ita:

Πολυδώρῳ,
ἡμετέρῳ βασιλῆϊ, θεοῖς τε φίλῳ Θεοπόμπῳ,
ὃν δία Μεσσήνην εἵλομεν εὐρύχορον,
Μεσσήνην ἀγαθὴν μὲν ἀροῦν, ἀγαθὴν δὲ φυτεύειν.

Haec enim quin fuerint pars Eunomiae, dubitare non sinit argumentum, siquidem non poterant Polydorus ac Theopompus, veteres Lacedaemoniorum reges, tali modo a Tyrtaeo commemorari, nisi ut meritis eorum excitarentur cives ad memoriam eorum sancte colendam, iisque obedientiam praestandam etiam mortuis. Res perspicua ex Plutarchi Lycurgo cap. 6. alioque, quod ibi exstat, nostri poetae fragmento de iisdem regibus:

Φοίβου ἀκούσαντες Πυθωνόθεν οἰκάδ᾽ ἔνεικαν
μαντείας τε θεοῦ καὶ τελέεντ᾽ ἔπεα·
ἄρχειν μὲν βουλῆς θεοτιμήτους βασιλῆας,
οἶσι μέλει Σπάρτας ἱμερόεσσα πόλις,
πρεσβύτας τε γέροντας, ἔπειτα δὲ δημότας ἄνδρας,
εὐθείαις γνώμαις ἀνταπαμειβομένους.

quod nullus dubito ad eandem trahere elegiam. Nam quum in rhetra constitutum a Lycurgo esset, congregata populi concione nemini, nisi regibus et senatoribus, licere rogationem ferre, plebi vero iudicandi tantum de illorum rogationibus potestatem concedi, quumque postea plerique addendo ac detrahendo rogationes detorquerent eo, quo ipsis placeret: reges illi tale supplementum inseruerunt rhetrae: si populus rogationem elegerit a mente auctoris deflexam, eam a senatoribus regibusque non confirmari, sed concionem dissolvi; idque se ex responso fecisse Apollinis, persuaserunt civitati. Iam ubi seditio erat circa finem alterius belli exorta, quam componere per carmina sua Tyrtaeus sustinuit, consentaneum est, hunc id etiam egisse, ut saluberrimam rhetram, tam sapienter ab illis regibus emendatam, in usum legitimum revocaret. Quem in finem primum commonefecit Lacedaemonios, quantum deberent Polydoro et Theopompo, deinde obsoletae legis memoriam renovavit. Poterat etiam aliter ordinem instituere: sed mentio regum in priore fragmento eiusmodi est, ut ibi primum eos commemoratos fuisse appareat. Quae quum ita sint, videor mihi posterius fragmentum non iniuria tanquam partem subiunxisse priori, insertis, quibus lacuna significaretur, asteriscis. Ceterum altera haec pars fragmenti iam ante nos fuerat ad Eunomiam relata.

Versus ab Aristide Orat. I. Platon. pro Rhet. T. III. p. 55. ed. Steph. allatus e poeta nescio quo Laconico, quem vocat τὸν τῶν παρθένων ἐπαινέτην τε καὶ σύμβουλον,

tantum abest, ut iure ab Harlesio referatur ad Eunomiam, ut ne Tyrtaeo quidem sit tribuendus, qui quidem nec nominatur ab Aristide nec tali modo significari potuit. *Τί δέ*, inquit Aristides, *ὁ τῶν παρθένων ἐπαινέτης τε καὶ σύμβουλος λέγει, ὁ Λακεδαιμόνιος ποιητής;*

πολλὰ λέγων ὄνυμ' ἀνδρί· γυναικὶ δὲ πάσῃ χάρηα.

πολλά φησιν ὁ ἀνὴρ λεγέτω· γυνὴ δὲ οἷς ἂν ἀκούσῃ χαιρέτω.

Corruptum, ut erat, apposui versum, ita quidem restituendum:

πολλὰ λέγειν ὄνυμ' ἀνδρί, γυγναικὶ δὲ πᾶσι χαρῆναι.

multa loqui, nomen seu laus est viro etc.

Ad finem relegavimus paroemiacos, ex *ἐμβατηρίοις* prolatos a Dione Chrysostomo Orat. II. de Regno p. 92. ed. Reisk. et Tzetza Chil. 1, 26. quo de genere dictum in Callini Appendice.

ΤΥΡΤΑΙΟΥ ΛΕΙΨΑΝΑ.

I.

ΕΚ ΤΩΝ ΠΟΛΕΜΙΚΩΝ ΕΛΕΓΕΙΩΝ.

Αὐτὸς γὰρ Κρονίων, καλλιστεφάνου πόσις Ἥρης, V, 1.
Ζεύς, Ἡρακλείδαις τήνδε δέδωκε πόλιν.
ἀλλ', Ἡρακλῆος γὰρ ἀνικήτου γένος ἐστέ, II, 1.

V. 3. Brunckius cum aliis ita distinxerat:
ἀλλ' Ἡρακλῆος γὰρ ἀνικήτου γένος ἐστέ·
θαρσεῖτ', etc.

Comma post ἐστὲ Schaeferus revocavit Melet. Crit. p. 76, multisque eiusdem structurae exemplis allatis. Et haec est observatio illa, qua usus Thierschius occasionem arripuit ad carmina nostra auctori suo abiudicanda. Sed post ἀλλ' eadem est ponenda distinctio. Jungendum enim: ἀλλὰ θαρσεῖτ', et perinde in reliquis locis; ut constructio sit eiusdem generis, atque Homericum illud Od. κ, 174. seqq.

Ὦ φίλοι, οὐ γάρ πως καταδυσόμεθ', ἀχνύμενοί περ,
εἰς Ἀΐδαο δόμους, πρὶν μόρσιμον ἦμαρ ἐπέλθῃ,
ἀλλ' ἄγετ', etc.

et similia, veluti post paullo v. 190. seqq.

ὦ φίλοι, οὐ γάρ τ' ἴδμεν, ὅπῃ ζόφος, οὐδ' ὅπῃ Ἠώς,
οὐδ' ὅπῃ ἠέλιος φαεσίμβροτος εἶσ' ὑπὸ γαῖαν,
οὐδ' ὅπῃ ἀννεῖται, ἀλλὰ φραζώμεθα θᾶσσον, etc.

Nam ita interpungendum, ut appareat, hic quoque caussalem sententiam non simpliciter esse praemissam, sed quasi ἐν παρενθέσει positam; quae ratio etiam latius patet in utraque lingua. Recte et nostrum et similia loca accepit Aug. Matthiae Misc. Philol. II, 1. p. 13. seq. et Grammat. Gr. p. 906. qui tamen signa pa-

θαρσεῖτ', οὔπω Ζεὺς αὐχένα λοξὸν ἔχει.
μηδ' ἀνδρῶν πληθὺν δειμαίνετε, μηδὲ φοβεῖσθε
ἰθὺς δ' εἰς προμάχους ἀσπίδ' ἀνὴρ ἐχέτω,
ἐχθρὰν μὲν ψυχὴν θέμενος, θανάτου δὲ μελαίνας
κῆρας ὑπ' αὐγαῖσίν γ' ἠελίοιο φίλας.

renthesis, quam commata, ponere maluit, recedens hac quidem in re a Valckenario, quem laudat, ad Herodot. p. 685, 97. Est autem verissimum, quod ad priorem Homeri locum in lectionibus suis Heinrichium monere memini, particulam *γάρ* in talibus intensivam pariter atque caussalem esse, ut nostrum, *ja*, illumque ordinem, quo caussa prius commemoratur, quam res ipsa, ex affectu loquentis esse repetendam: cui observationi nova plura vir praestantissimus de propria vi istius particulae adiunxit, quae referre tanto minus hic est necesse, quum nuper tenebrio nescio quis fuci instar involarit in eius dictata, propediem fortasse haec quoque Homerica compilaturus. Illud ad nostrum etiam versum pertinere, nemo non videt. Ceterum H. Stephanus et antiquiores alii *ἀνίκητον* exhibent, ex margine sumtum Stobaei.

V. 6. Stephanus aliique *ἐς* pro *εἰς*: nescio unde. Idem tamen haud scio an in Parisino Stobaei codice invenerit Brunckius. Reposuit enim in Gnomicis, quum *εἰς* scripsisset in Analectis. Verum aut vehementer fallor, aut *εἰς* ubique apud epicos quidem et elegiacos scribendum est, ubi longa, *ἐς*, ubi brevis syllaba.

V. 8. Ante Grotium vulgo vitiose legebatur:

κῆρας αὐγαῖσιν ἠελίοιο φίλας,

isque vocabulo *αὐγαῖσιν* substituit *ὁμῶς αὐγαῖς*, ex ingenio. Quae mutatio quum iusto maior recte videretur Brunckio, recepit correctionem viri docti in Misc. Observat. T. I. Vol. 1. p. 128. *ἴσ' αὐγαῖσιν*, metro, ut Thierschius ostendit, repugnante. Et Thierschius quidem in Grotiana emendatione, qua nihil certius esse dicit, acquiescendum putavit. Atqui Brunckius in scripto Stobaeo reperit *ἐπ' αὐγαῖσιν*. Cuius scripturae vestigiis inhaerens, facillima hac ratione Hermannus locum sanavit:

ἐχθρὰν μὲν ψυχὴν θέμενος, θανάτου δὲ μελαίνας
κῆρας ὑπ' αὐγαῖσίν γ' ἠελίοιο φίλας.

Ita, inquit, *pugnare hortabitur, vitam spernentes, mortem autem, sub luce quidem solis, id est honestam, ut in pugna, expe-*

ἴστε γάρ, ὡς Ἄρεως πολυδακρύτου ἔργ' ἀΐδηλα,
εὖ δ' ὀργὴν ἐδάητ' ἀργαλέου πολέμου·

tentes, quoniam illa parum gloriosa mors est, qua quis domi suae morbo vel senio exstinguitur. Quam in rem opportune attulit Calliniani fragmenti versum 14. seqq.

πολλάκι δηϊότητα φυγὼν καὶ δοῦπον ἀκόντων
ἔρχεται, ἐν δ' οἴκῳ μοῖρα κίχεν θανάτου.
ἀλλ' ὁ μὲν οὐκ ἔμπης δήμῳ φίλος, οὐδὲ ποθεινός·
τὸν δ' etc.

neque in re tam obvia plura conquirere opus est. Minus etiam verendum, ne quem fugiat, quod vel e Lexico illo Homerico disci potest, ὑπ' αὐγαῖσιν vel ὑπ' αὐγὰς ἠελίοιο idem esse, qnod ὑφ' ἡλίῳ vel ὑφ' ἥλιον, *sub sole*, hoc est *sub dio*, *in aëre;* modó ne eodem referatur dubiae auctoritatis vocabulum ὕπαυγος. Neque vero fortuita est coniunctio atrae mortis ac lucis: illa dicítur viro forti in pugna a solis radiis illustrari quasi atque iucunda reddi, quum contra, si domi vita excesseris, istiusmodi mors obscura, id est ignobilis, etiam atrior sit, id est atrocior.

V. 9. Vulgo legitur:

ἴστι γάρ, ὡς Ἄρεως πολυδακρύου ἔργ' ἀρίδηλα,

nisi quod Brunckius in secunda recensione ex margine Stobaei iam revocavit Homericum πολυδακρύτου, quod etiam Stephanus, Hertelius et Wintertonus receperant. Harlesium vero, in Anthologia sua poetica retinentem istud ante vulgatum πολυδακρύου, nihil moramur, Sed hoc levius. Maioris momenti illud est, totamque pervertit sententiam, quod omnes, quotquot viderim, editiones occupavit, ἀρίδηλα. Quid enim? Caussa erat afferenda, non omnino cur fortiter sit pugnandum, sed cur spernenda vita, gloriosaque mors diligenda. Haec vero non potest alia esse, quam quod mors exspectanda sit iis, qui acriter hostem invadant, neque igitur amor vitae in pugna queat cum virtute conciliari. Atque huc spectat Ἄρης πολυδάκρυτος, et versus proximus:

εὖ δ' ὀργὴν ἐδάητ' ἀργαλέου πολέμου.

Quapropter non dubitavi in verba poetae admittere certissimam Heynii correctionem, propositam in Goettingensium eruditorum Iudiciis litterariis Voll. II. p. 954.:

ἴστε γάρ, ὡς Ἄρεως πολυδακρύτου ἔργ' ἀΐδηλα,

praesertim quum idem illud ἀΐδηλα in Stobaei margine reperiatur.

καὶ πρὸς φευγόντων τε διωκόντων τ' ἐγένεσθε,
ὦ νέοι, ἀμφοτέρων δ' εἰς κόρον ἠλάσατε. 10.
τοὺς δὲ παλαιοτέρους, ὧν οὐκέτι γούνατ' ἐλαφρά, I, 19.
μὴ καταλείποντες φεύγετε τοὺς γεραιούς. 20.
αἰσχρὸν γὰρ δὴ τοῦτο, μετὰ προμάχοισι πεσόντα
κεῖσθαι πρόσθε νέων ἄνδρα παλαιότερον,
ἤδη λευκὸν ἔχοντα κάρη πολιόν τε γένειον,
θυμὸν ἀποπνείοντ' ἄλκιμον ἐν κονίῃ,
αἱματόεντ' αἰδοῖα φίλαις ἐν χερσὶν ἔχοντα,
αἰσχρὰ τά γ' ὀφθαλμοῖς, καὶ νεμεσητὸν ἰδεῖν,

Et inde recipiendam esse hanc lectionem, vidit etiam praeter Heynium vir doctus in Bibliotheca veterum litterarum et artium. Partic. I. p. 177. seq.

V. 11. Exquisitius est, quod e codice Brunckius restituit, *πρὸς φευγόντων*, quam quod antea ferebatur, *μετὰ φευγόντων*. Est autem *πρὸς τινος*, *a partibus alicuius*, ut alibi, ita iam apud Herodotum I, 52. ubi eodem modo dicitur *γενόμενοι πρὸς σέο*: quo de usu quum plures disputarunt, tum etiam aptissime ad hunc versum editores Gregorii Cor. p. 104. seqq. ed. Schaefer. Firmatur *πρὸς* lectione *παρά*, quae est in margine; nam saepe confusas inter se particulas *πρὸς* et *παρά*, post alios notat Schaeferus ad Dionys. Halic. de Compos. Verb. p. 16. Erunt, quibus postrema haec lectio genuina videatur, quia praepositio *παρά* interdum iungatur genitivo, ubi dativum exspectes, docente Abreschio ad Cattieri Gazophylac. p. 85. et Schaefero ad eundem illum Dionysii librum p. 119., iterumque ad Soph. Antig. v. 1123. (1120.) Sed vix dici potest *γενέσθαι παρά τινος*, neque adeo sententiae satis convenit, quandoquidem fugientibus et persequentibus interfuerant milites, non tantum affuerant; id quod bene intellexit, qui scripsit *μετά*, et repertum suo in codice *παρὰ* in margine posuit; sic enim rem accidisse manifestum est.

V. 13. Brunckius in novissima recensione *οὐκ ἔτι* disiunctim: sed *μηκέτι* adversatur, ut notum hodie vel ex Imman. Bekkeri crisi erudita Iliadis Wolfianae.

V. 20. Hunc versum praeter necessitatem plerique omnes uncis includunt, quasi *τά γ'* exponi deberet *ταῦτά γε*, nec potius

καὶ χρόα γυμνωθέντα. νέοισι δὲ πάντ' ἐπέοικεν·

ἅ γε. Ingeniose Reiskius reponendum putat *νεμεσσῆτ' ἐνιδεῖν*, ob antecedens *αἰσχρὰ τά γε*, modo *ἐνιδεῖν* docuisset omnino usitatum fuisse, praesertim Tyrtaei temporibus. Facilius *ἐσιδεῖν* ferri posset, quamvis correctum quibusdam in locis Homericis ab Hermanno ad Hom. Hymn. in Apoll. v. 255, adeoque saltem in Tyrtaeo, ubi vix licet de digamma Aeolico cogitare, legitimum videretur. Sed hoc quidem nimium quantum recedit a lectione vulgata. Quodsi quidquam omnino mutandum esset, scribendum videretur *νεμεσσητὰ ἰδεῖν*, hiatu Homerico, Tyrtaei memoria non amplius a digamma, sed ab Homeri imitatione repetendo. Sed nulla profecto mutatione opus est, dum commate nobiscum distinxeris post *ὀφθαλμοῖς*, ut haec sit constructio: *ἅ γ' ἐστὶν αἰσχρὰ ὀφθαλμοῖς, καὶ ἃ ἰδεῖν νεμεσσητόν ἐστιν.* Melius est enim in talibus relativum pronomen alio casu assumere, quam cum assumtione mutatam talem in modum constructionem putare: *ἅ γ' ἐστὶν αἰσχρὰ ὀφθαλμοῖς, καὶ νεμεσσητὸν ἰδεῖν αὐτά:* quae quidem assumtio non sufficit ad explicandum similem usum nominativi. Ambigua res visa Buttmanno Grammat. Gr. p. 579. sextae edit. quum antea alteram sententiam, quam nostram fecimus, proposuisset Ruhnkenius ad Hom. Hymn. in Cer. v. 151, alteram Hermannus, qui in eadem nuper etiam perstitit ad Viger. p. 707. seq. ed. nov. Exempla tamen unius verbi finiti in utroque orationis membro aut positi in hac syntaxi, aut, quod eodem redit, intelligendi, ut hoc loco *ἐστίν*, fateor me adhuc desiderare.

V. 21. Thierschius restituendum putavit *νέῳ δέ τε πάντ' ἐπέοικεν*, sicut Homerus Iliad. χ, 71.

νέῳ δέ τε πάντ' ἐπέοικεν
ἀρηϊκταμένῳ, δεδαϊγμένῳ ὀξέϊ χαλκῷ
κεῖσθαι·

quod idem iam ante eum reponi voluerat vir doctus in Bibl. Germ. univ. Vol. XII. Sect. I. p. 149. Sed neuter tamen huius correctionis idoneam attulit rationem. Nam primum sola Homerici versus comparatio nihil comprobat. Deinde quod Thierschius addidit, soloecam esse subitam numeri mutationem omisso *τίς*, et falsum est sic universe dictum, docente Hermanno, neque huc pertinet, ut statim apparebit.

ὄφρ' ἄρα τίς χ' ἥβης ἀγλαὸν ἄνθος ἔχῃ,

V. 22. Legebatur:

ὄφρ' ἄρα τῆς ἥβης ἀγλαὸν ἄνθος ἔχῃ,

quod fortasse ferri posset, quatenus τὶς deest, si versus commate interiecto copulandus esset cum antecedente: quanquam vel sic epicorum aut elegiacorum exempla desiderares. Sed Brunckianam distinctionem, quam nos secuti hunc versum μέσῃ στιγμῇ disiunximus ab antecedente, non solum coniunctio sententiarum, verum etiam particula ἄρα requirit, quae quidem in hac interpunctione haudquaquam est otiosa, sed *scilicet* explicanda, ut in Hom. Hymn. in Ven. v. 53. ubi conf. Hermannus. Nec vereor, ne quem exempla ab Hemsterhusio ad Luciani Nigrin. cap. 24. Erfurdtio in Horreo Regiom. a. 1812. sect. 3. p. 460. aliisque allata adducant, ut pronomen τὶς ubivis omitti posse sibi persuadeat. Hermannus certe vix defensurus fuisset pronomen omissum, nisi nostrum versum iungi voluisset cum antecedente hexametro. In quo quum assentiri nequeam viro summo, nec possum probare correctionem eius:

ὄφρ' ἐρατῆς ἥβης ἀγλαὸν ἄνθος ἔχῃ,

quantumvis dignam viri acumine, praetereaque Valckenarii auctoritate commendatam, eodem modo iam ante Hermannum corrigentis in Diatrib. Eurip. p. 293. Multo minus tamen probabile Thierschianum istud:

ὄφρ' ἂν τῆς ἥβης ἀγλαὸν ἄνθος ἔχῃ,

iunctum cum illa hexametri praecedentis corruptione: νέῳ δέ τε πάντ' ἐπέοικεν. Quibus admissis nostro in versu νέος assumendum esset, repugnante sententia. Adde quod articulus τῆς, ut Hermannus iam animadvertit: ne in prosa quidem oratione, nedum in poeta, tolerari posset. Nam in illo Mimnermi, 1, 4.

ἄνθεα τῆς ἥβης γίγνεται ἁρπαλέα,

sic emendandum:

ἄνθε', ἃ τηλ' ἥβης γίγνεται ἁρπαλέα,

arcteque versum cum antecedentibus iungendum puto. Ut tamen in aliis ferri possit articulus sic positus, saltem a Tyrtaeo abhorret, qui articulo utitur more plane Homerico, siquidem discesseris ab huius fragmenti versu 27. ubi usque adhuc legebatur τὴν δ' αὐτοῦ προλιπόντα πόλιν. Quid multa? Versu, de quo nunc agitur, scribendum lenissima mutatione:

ἀνδράσι μὲν θνητὸς ἰδεῖν, ἐρατὸς τε γυναιξὶν,
ζωὸς ἐών, καλὸς δ' ἐν προμάχοισι πεσών.
τεθνάμεναι γὰρ καλὸν ἐνὶ προμάχοισι πεσόντα

ὄφρ' ἄρα τίς χ' ἥβης ἀγλαὸν ἄνθος ἔχῃ, etc.

Theognis v. 1001. (981. ed. Brunck.) seq.

ὄφρα τις ἥβης
ἀγλαὸν ἄνθος ἔχων καὶ φρεσὶν ἐσθλὰ νοῇ,

qui locus e nostro ductus, ut noster ex Homerico Iliad. ν, 484·

καὶ δ' ἔχει ἥβης ἄνθος, ὅ τε κράτος ἐστὶ μέγιστον.

Utrumque locum iam ab aliis collatum reperies: de priore vide etiam nos ad II, 13 et 14. Ceterum corruptionem peperit recentior pronunciatio.

V. 23. Libri *ἀνδράσι μὲν θνητοῖσιν*, quod omnino intelligi nequit. Scaliger *ἀνδράσιν ἐν θνητοῖσιν*, nihilo melius. Propius ad verum accessit vir doctus in Bibl. Germ. univ. Vol. XII. p. 149. cui reponendum videbatur *ἀνδρέσσιν μὲν ἀγητός*. Sed acu rem tetigit Reiskius, hoc quidem in loco non sane infelicissimus coniectator, scribendo:

ἀνδράσι μὲν θνητὸς ἰδεῖν, ἐρατὸς δὲ γυναιξὶν,

nisi quod una cum reliquis editoribus litteram *ν* paragogicam omisit in fine versus, a nobis ubique additam ex norma Hermanni, quem vide de Emend. Rat. Gr. Gr. p. 22. et praefat. ad Orph. p. IX.

V. 24. De disticho post hunc versum omisso vide prooemium. p. 153.

V. 25. Vulgo *ἐπὶ προμάχοισι*, quam lectionem cave defendas ex eo, quod Homerus, ut hoc utar, modo dicit *ἐνί*, modo *ἐπὶ προθύροισιν*. Nam illud est *in ianua*, hoc *ad ianuam exteriorem*, ut notum. Similiter apud Dionysium Halic. Antiq. Rom. IV, 16. extr. *οἱ ἐφεστῶτες τοῖς προμάχοις* ii vocantur, quorum statio est non inter, sed prope principes. Nec vereor, ne quis provocet ad Sophocleum illud Trachin. v. 371. seqq.

καὶ ταῦτα πολλοὶ πρὸς μέσῃ Τραχινίων
ἀγορᾷ ξυνεξήκουον ὡσαύτως ἐμοί,
ὥστ' ἐξελέγχειν· etc.

quum deinde dicatur v. 423. seq.

ἄνδρ' ἀγαθόν, περὶ ᾗ πατρίδι μαρνάμενον.
ἣν δ' αὐτοῦ προλιπόντα πόλιν καὶ πίονας ἀγροὺς
πτωχεύειν πάντων ἔστ' ἀνιηρότατον,
πλαζόμενον σὺν μητρὶ φίλῃ καὶ πατρὶ γέροντι,
παισί τε σὺν μικροῖς κουριδίῃ τ' ἀλόχῳ.
ἐχθρὸς μὲν γὰρ τοῖσι μετέσσεται, οὓς κεν ἵκηται,

ἐν μέσῃ Τραχινίων
ἀγορᾷ πολύς σου ταῦτά γ' εἰσήκουσ' ὄχλος.

et similia, de quibus exposuit Schaeferus in Glossar. Liv. p. 57. Nam primum, quod valet de praepositione πρός, non debet continuo transferri ad ἐπί. Deinde ne illud quidem ubique sic usurpatur. Quare videor mihi non iniuria dedisse:

τεθνάμεναι γὰρ καλὸν ἐνὶ προμάχοισι πεσόντα etc.

praesertim quum haec verba manifesto respondeant iis, quae proxime nostra quidem in recensione antecedunt:

καλὸς δ' ἐν προμάχοισι πεσών.

V. 27. Hunc versum, sic vitiatum:

τὴν δ' αὐτοῦ προλιπόντα πόλιν καὶ πίονας ἀγρούς,

adhuc intactum critici reliquerunt, excepto Hermanno, quem video tacite αὐτοῦ scripsisse pro αὐτοῦ. Sed praeterea, si quid iudico, τὴν mutandum, adeoque legendum ἣν δ' αὐτοῦ etc. ut apud Homerum Iliad. κ, 204. seq. ἑῷ αὐτοῦ θυμῷ. Nec secus corrigendum ibid. ι, 341. seq.

ἐπεί, ὅστις ἀνὴρ ἀγαθὸς καὶ ἐχέφρων,
τὴν αὐτοῦ φιλέει καὶ κήδεται· etc.

ubi recte editum αὐτοῦ, de quo conf. Hermannus in Actis Soc. Philol. Lips. Vol. I. p. 54. sed ἣν scribendum est postulante Homerico usu articuli. Est autem ἣν αὐτοῦ idem, quod Atticis τὴν ἑαυτοῦ.

V. 31. Mutilum hoc modo versum:

ἐχθρὸς γὰρ τοῖσι μετέσσεται, οὕς κεν ἵκηται,

alii aliter explere conati sunt. Et Brunckii quidem ratio, δὴ post γὰρ inserentis, a Melanthone, Hermanni autem, scribentis μὲν γάρ, ab H. Stephano, Hertelio, Wintertone et Tayloro iam pridem fuerat occupata. Reliqua emendandi pericula nihil attinet recensere. Litem componet hoc, quo mihi uti licet, testimo-

χρησμοσύνῃ τ' εἴκων καὶ στυγερῇ πενίῃ,
αἰσχύνει τε γένος, κατὰ δ' ἀγλαὸν εἶδος ἐλέγχει,
πᾶσα δ' ἀθυμίη καὶ κακότης ἕπεται.
εἰ δ' οὕτως ἀνδρός τοι ἀλωμένου οὐδεμί' ὤρη

nium Heinrichii de auctoritate duorum codicum: *Duo contuli codices MSS. Orationis Lycurgi, Germanicum unum et alterum Italicum, κειμήλια perrara, ac testor, in utroque clare ecriptum esse: ἔχθρος μὲν γάρ τοῖσι κ. τ. λ.* Unum hoc addo, frustra pronunciari a Thierschio, copulationem pronominum τοῖσι — οἵς ab epicorum et elegiacorum more prorsus abhorrere. Conferat mihi igitur Hom. Iliad. α, 272.

τῶν, οἳ νῦν βροτοί εἰσιν ἐπιχθόνιοι, etc.

ibid. ξ, 416.

τὸν δ' οὔ περ ἔχει θράσος, ὅς κε ἴδηται

et quae sunt horum similia permulta.

V. 34. Vulgata hodie lectio est *ἀτιμία:* sed haec Klotzio debetur, qui minus saltem prodidisset *ἀκρισίαν* suam, si *ἀτιμίη* scripsisset. Antiquiores ad unum omnes aut *ἀθυμίη*, quae Scaligeri est scriptura, aut, quod hinc depravatum, *ἀθυμία* et *ἀτιμία:* neque ulla auctoritate firmatur Klotziana mutatio, reiecta iam dudum idoneis rationibus a viro erudito in Bibl. Germ. univ. Vol. XII. p. 147. seq. sed nihilo minus adscita in editiones posteriores, a Brunckio inde, qui silentio suo Heynium et Thierschium induxit, ut Klotzianum istud *ἀτιμία* codicum lectionem putarent, iamque corrigerent, alter Indic. Goetting. Voll. II. p. 954. *ἀτιμία οἱ,* alter *ἀτιμίη,* quum potius revocandum esset, ut ille fecit anonymus, Scaligeranum *ἀθυμίη.* Nimirum desperatio animi non modo cadit in mendicantem, de quo sermo est, optimeque iungitur cum eiusdem miseria, sed magis etiam sententiae convenit, quam ignominia, quippe quae fuerit semel iam commemorata his verbis: *αἰσχύνει τε γένος.*

V. 35. In hoc versu offenderam ego iam ante Thierschium. Sed hunc quidem, quam fieri potuit, optime refutavit Hermannus. Meam suspicionem auxit certissima Heinrichii observatio, quam ille per colloquium prodidit alia occasione, *εἶτα* nusquam neque apud Homerum neque apud Hesiodum reperiri. Insuper male me habuit *ἀσύνδετον* v. 37.

γίγνεται· οὔτ' αἰδὼς εἰσοπίσω τελέθει·
[θυμῷ γῆς πέρι τῆσδε μαχώμεθα, καὶ περὶ παίδων
θνήσκωμεν, ψυχέων μηκέτι φειδόμενοι,
ὦ νέοι· ἀλλὰ μάχεσθε παρ' ἀλλήλοισι μένοντες,
μηδὲ φυγῆς αἰσχρᾶς ἄρχετε, μηδὲ φόβου.]
ἀλλὰ μέγαν ποιεῖσθε καὶ ἄλκιμον ἐν φρεσὶ θυμόν,

θυμῷ γῆς πέρι τῆσδε μαχώμεθα, etc.

quod quidem vel in rhapsodo aegre admiserim. Quare videor mihi non temere dedisse:

εἰ δ' οὕτως ἀνδρός τοι ἀλωμένου οὐδεμί' ὤρη
γίγνεται, οὔτ' αἰδὼς εἰσοπίσω τελέται·

ut iam sit apodosis apud rhapsodum:

θυμῷ γῆς πέρι τῆσδε μαχώμεθα, etc.

in Tyrtaeo autem:

ἀλλὰ μέγαν ποιεῖσθε καὶ ἄλκιμον ἐν φρεσὶ θυμόν,
μηδὲ φιλοψυχεῖτ' etc.

Homerus Iliad. π, 36. seqq.

εἰ δέ τινα φρεσὶ σῇσι θεοπροπίην ἀλεείνεις,
καί τινά τοι πὰρ Ζηνὸς ἐπέφραδε πότνια μήτηρ·
ἀλλ' ἐμέ περ πρόες ὦχ', etc.

Ceterum quidam olim separatim οὐδέ μι ὤρη: male, quum sit simpliciter *nulla*, minime vero *ne una quidem.* Scripturam γίνεται et talia in quibusdam editionibus non soleo commemorare: sed lepida est hanc defendentis Klotzii annotatio.

V. 40. Melanthon μὴ δὲ φυγῆς, neque aliter duobus abhinc versibus μὴ δὲ φιλοψυχεῖτ': quae ratio quum multis placuit, tum etiam Schaefero Append. ad Bastii Epist. Crit. p. 29. seq. sed vide Hermannum Observat. ad Bucolicos ante Sophoclem Schaeferi p. XIII. seq.

V. 41. In libris est ποιεῖτε. At vero θυμὸν ποιεῖν est *facere animum*, θυμὸν ποιεῖσθαι, *sibi facere seu capere animum.* Quam ob caussam Reiskius restitui voluit πνοιεῖτε, quod monstrum verbi prorsus est inauditum, tametsi ipsa locutio θυμὸν πνέειν, de qua mireris provocare eum ad v. 18.

θυμὸν ἀποπνείοντ' ἄλκιμον ἐν κονίῃ.

defendi potest ex Hom. Iliad. β, 536.

μηδὲ φιλοψυχεῖτ᾽ ἀνδράσι μαρνάμενοι.
οἳ μὲν γὰρ τολμῶσι, παρ᾽ ἀλλήλοισι μένοντες, II, 11.
εἴς τ᾽ αὐτοσχεδίην καὶ προμάχους ἰέναι,
παυρότεροι θνήσκουσι, σάουσι δὲ λαὸν ὀπίσσω·
τρεσσάντων δ᾽ ἀνδρῶν πᾶσ᾽ ἀπόλωλ᾽ ἀρετή.
[οὐδεὶς ἄν ποτε ταῦτα λέγων ἀνύσειεν ἕκαστα,

Οἳ δ᾽ Εὔβοιαν ἔχον, μένεα πνείοντες Ἄβαντες,

et talibus. Attamen laudandus ille eo nomine, quod sensit difficultatem, neglectam a reliquis. Haud equidem sum ignarus, activum non raro poni, ubi exspectes medium. At hoc, ne quis erret, non fit nisi in certis quibusdam verbis, παύειν, καλύπτειν et aliis, ut αἵρειν, de quo vide Lobeckium ad Sophoclis Aiac. v. 129. commemorantem tum plura, tum ex Eurip. Iphig. Aul. v. 1598. et Musaeo v. 243. θάρσος αἵρειν, quod est apud Quintum Calabr. VII, 347. θυμὸν ἀείρεσθαι. Unde erunt, qui nostro in versu vulgatam tueri velint, non illi quidem sine aliqua specie: sed nusquam tamen activum reperies in formula θυμὸν ποιεῖσθαι et similibus, ὀργήν, λήθην ποιεῖσθαι et sic porro, non magis, quam in gemina locutione θυμὸν θέσθαι apud Homerum, ut saepe, ita Iliad. ι, 624. seq.

αὐτὰρ Ἀχιλλεὺς
ἄγριον ἐν στήθεσσι θέτο μεγαλήτορα θυμόν,

et alibi. Quam rationem loquendi, praeclaramque Valckenarii, quae huc spectat, disputationem, ad Herodot. III. p. 206. quum cognitam habuerint interpretes, hoc magis mirum, neminem praeter Reiskium de corruptione vel cogitasse. Nobis dubium non videtur, quin versus a Tyrtaeo sit ita profectus:

ἀλλὰ μέγαν ποιεῖσθε καὶ ἄλκιμον ἐν φρεσὶ θυμόν,

nata autem corruptio ex activo φιλοψυχεῖτε versu proximo. In qua emendatione mihi cum Heinrichio convenire, laetus cognovi. Is enim eandem sibi notarat in margine exempli sui.

V. 44. Brunckius in Gnomicis εἰς pro ἐς, e scripto, ni fallor, Stobaeo. Recte, si vera sunt, quae dixi ad v. 6.

V. 47. Stephanus et alii οὐδ᾽ εἷς δ᾽ ἄν. At certe scribendum erat οὐδ᾽ εἷς ἄν, aut etiam οὐδεὶς δ᾽ ἄν. Et illud quidem vix dubitassem recipere, quo tolleretur ingratum ἀσύνδετον, et responderet sibi εἷς - ἕκαστα, nisi prior lectio in hac quidem interpolatoris sententiola praeferenda videretur.

ὅσσ', ἢν αἰσχρὰ πάθῃ, γίγνεται ἀνδρὶ κακά.]
ἀργαλέον γὰρ ὄπισθε μετάφρενόν ἐστι δαΐζειν
ἀνδρὸς φεύγοντος δηΐον ἐν πολέμῳ.

V. 48. Olim ἄν, contra metrum; Brunckius ἐάν, quod proprium Atticis. Nos edendum curavimus, ἤν, iam ante Thierschium reposuerat iudex ille Klotzianae editionis saepius memoratus.

V. 49. et 50. Hoc distichum ubique sic scriptum fuit:

ἀργαλέον γὰρ ὄπισθε μετάφρενόν ἐστι δαΐζειν
ἀνδρὸς φεύγοντος δηΐῳ ἐν πολέμῳ,

quod unus omnium Koeppenius in Anthologia sua explanare aggressus est, reliqui autem interpretes per se satis perspicuum existimasse videntur. Ille vero locum sic voluit expedire: ἀργαλέον ἐστὶ δαΐζειν (τινα) ὄπισθε μετάφρενον etc. addens, ex vulgari loquendi consuetudine dicendum fuisse: ἀργαλέον ἐστὶ δαΐζεσθαι, eamque interpretationem tueri conatur Euripidis illo, Med. v. 322. ἀνὴρ ῥᾴων φυλάσσειν, et similibus, quae ratio loquendi, praeter Dorvillium, quem ille commemorat, etiam ab Hemsterhusio et Brunckio illustrata, neminique ignota, quam nihil faciat ad hunc locum, monuisse sat est. Alienior etiam locutio ἐκέλευσε φυλάττειν. Sed omnium minime defendendae explicationi Koeppeniae idoneus est, quem in Addendis supplendum putavit, versus Hesiodi Theog. 369.

τῶν ὄνομ' ἀργαλέον πάντων βροτὸν ἄνδρα ἐνίσπειν·

quem obiter hiatu liberes inserendo γ' post ἄνδρα. Etenim ibi adest, qui nostro in loco desideratur, accusativus. Quid plura? Ad ipsam Hesiodei versus similitudinem reponas:

ἀργαλέον γὰρ ὄπισθε μετάφρενόν ἐστι δαΐζειν
ἀνδρὸς φεύγοντος δήϊον ἐν πολέμῳ.

Δήϊος substantivi instar usurpatur, ut saepius iam apud Homerum, veluti Iliad. λ, 190. et 205.

μάρνασθαι δηΐοισι κατὰ κρατερὴν ὑσμίνην.

Atque ita Tyrtaeus ipse II, 12.

καὶ δήϊον ὀρέγοιτ', ἐγγύθεν ἱστάμενος.

Aliter auctor versus 62. nostri fragmenti:

ἢ ξίφει οὐτάζων, δήϊον ἄνδρ' ἑλέτω·,

usu itidem Homerico. Illud monendum putavi, quamvis notis-

αἰσχρὸν δ' ἐστὶ νέκυς κατακείμενος ἐν κονίῃσι,
νῶτον ὄπισθ' αἰχμῇ δουρὸς ἐληλαμένος.
ἀλλά τις, εὖ διαβὰς, μενέτω ποσὶν ἀμφοτέροισιν
στηριχθεὶς ἐπὶ γῆς, χεῖλος ὀδοῦσι δακών,
μηρούς τε κνήμας τε κάτω καὶ στέρνα καὶ ὤμους
ἀσπίδος εὐρείης γαστρὶ καλυψάμενος·
δεξιτερῇ δ' ἐν χειρὶ τινασσέτω ὄμβριμον ἔγχος,
κινείτω δὲ λόφον δεινὸν ὑπὲρ κεφαλῆς.
ἔρδων δ' ὄμβριμα ἔργα διδασκέσθω πολεμίζειν,
μηδ' ἐκτὸς βελέων ἑστάτω ἀσπίδ' ἔχων.
[*ἀλλά τις ἐγγὺς ἰὼν, αὐτοσχεδὸν ἔγχεϊ μακρῷ*
ἢ ξίφει οὐτάζων, δήϊον ἄνδρ' ἑλέτω·
καὶ πόδα πὰρ ποδὶ θεὶς, καὶ ἐπ' ἀσπίδος ἀσπίδ' ἐρείσας,
ἐν δὲ λόφον τε λόφῳ, καὶ κυνέην κυνέῃ,
καὶ στέρνον στέρνῳ, πεπλημένος ἀνδρὶ μαχέσθω,
ἢ ξίφεος κώπην ἢ δόρυ μακρὸν ἑλών.]
ὑμεῖς δ', ὦ γυμνῆτες, ὑπ' ἀσπίδος ἄλλοθεν ἄλλος
πτώσσοντες, μεγάλοις σφάλλετε χερμαδίοις,
δούρασί τε ξεστοῖσιν ἀκοντίζοντες ἐς ἄκρους,

simum, quia Schneiderus in Lexico neglexit vim nominis substantivam.

V. 51. Bene Brunckius, quum vulgo circumferretur *αἰσχρός*, exquisitius *αἰσχρὸν* reposuit, ex margine Stobaei iam olim a Grotio receptum.

V. 65. Ante Brunckium legebatur *πεπαλημένος*, quod nihili est.

V. 68. Stephanus, Wechelius et Hertelius *βάλλετε*. Fuit, cui *σφάλλετε* obscurum videretur, licet comparatum legisset cum Hom. Odyss. ρ, 465.

οὐδ' ἄρα μεν σφῆλεν βέλος Ἀντινόοιο.

Hunc igitur latuit propria verbi significatio, quae est *deiicere, prosternere.*

V. 69. Libri *ἀκοντίζοντες ἐς αὐτούς*. In quos vero? Nempe

τοῖσι πανοπλίταις πλησίον ἱστάμενοι.

in hostes. Audio: sed doceri velim, hostes *κατ' ἐξοχὴν* dici posse *αὐτούς*. Nam antea facta non erat hostium ulla mentio, ad quam *αὐτούς* possit referri. Corrigo:

δούρασί τε ξεστοῖσιν ἀκοντίζοντες ἐς ἄκρους,

in principes, in duces. Ita Euripides Phoeniss. v. 440. ed. Porson.

πολλοὶ δὲ Δαναῶν καὶ Μυκηναίων ἄκροι
πάρεισι, etc.

Quod autem ad rem attinet, satis erit apposuisse versus Homericos de Teucro sagittario, Iliad. *θ*, 271. seqq.

αὐτὰρ ὅ, αὖτις ἰὼν, παῖς ὣς ὑπὸ μητέρα, δύσκεν
εἰς Αἴανθ'· ὃ δέ μιν σάκεϊ κρύπτασκε φαεινῷ·
ἔνθα τίνα πρῶτον Τρώων ἕλε Τεῦκρος ἀμύμων;
Ὀρσίλοχον μὲν πρῶτα, καὶ Ὄρμενον ἠδ' Ὀφελέστην,
Δαίτορά τε Χρόμιόν τε, καὶ ἀντίθεον Λυκοφόντην,
καὶ Πολυαιμονίδην Ἀμοπάονα, καὶ Μελάνιππον,
πάντας ἐπασσυτέρους πέλασεν χθονὶ πουλυβοτείρῃ.

Qui quidem omnes viri principes erant. Quin etiam paullo post idem ille in ipsum Hectora ter arcum intendit, primum v. 300. seqq.

Ἦ ῥα, καὶ ἄλλον ὀϊστὸν ἀπὸ νευρῆφιν ἴαλλεν
Ἕκτορος ἀντικρὺ, βαλέειν δέ ἑ ἵετο θυμός·
καὶ τοῦ μὲν ῥ' ἀφάμαρθ'·

deinde v. 309. seqq. postremo v. 323. seqq.

V. 70. Pro *τοῖσι πανοπλίοις*, quod nihili est, Stephanus aliique edidere *ταῖσι πανοπλίαις*, abstractum, ut aiunt, pro concreto, quod tamen in hoc nomine usurpatum alibi frustra quaeras. Immo ne *ὅπλα* quidem ante tragicos de armatis me legere memini. Et cur tandem poetam ita locutum esse credemus, quum nihil fuerit impedimento, quo minus diceret *τοῖσι πανοπλίταις*? Atque ita ex margine Stobaei iam olim Gr[illegible]ius, ex codice Parisino denuo Brunckius scripserunt optime, obloquente frustra viro docto in Bibliotheca veterum litterarum et artium Partic. I. p. 178. Neque vero eidem Brunckio in eo assentior, quod indidem recepit *ἐγγύθεν ἱστάμενοι*, quod erat ante, ut nos restituimus, *πλησίον ἱστάμενοι*. Nam illud huc transferri potuit e v. 12. secundi carminis, quod quidem et ipsum exstat apud Stobaeum:

II. (III.)

ΕΚ ΤΩΝ ΑΥΤΩΝ.

Οὔτ' ἂν μνησαίμην, οὔτ' ἐν λόγῳ ἄνδρα τιθείμην,
οὔτε ποδῶν ἀρετῆς, οὔτε παλαισμοσύνης,
οὐδ' εἰ Κυκλώπων μὲν ἔχοι μέγεθός τε βίην τε,
νικῴη δὲ θέων Θρηΐκιον Βορέην·
[οὐδ' εἰ Τιθωνοῖο φυὴν χαριέστερος εἴη,
πλουτοίη δὲ Μίδεω καὶ Κινύρεω βάθιον·
οὐδ' εἰ Τανταλίδεω Πέλοπος βασιλεύτερος εἴη,
γλῶσσαν δ' Ἀδρήστου μειλιχόγηρυν ἔχοι·
οὐδ' εἰ πᾶσαν ἔχοι δόξαν, πλὴν θούριδος ἀλκῆς.
οὐ γὰρ ἀνὴρ ἀγαθὸς γίγνεται ἐν πολέμῳ,]
εἰ μὴ τετλαίη μὲν ὁρῶν φόνον αἱματόεντα,
καὶ δηΐων ὀρέγοιτ', ἐγγύθεν ἱστάμενος.

καὶ δηΐων ὀρέγοιτ', ἐγγύθεν ἱστάμενος.

Neque ista tam solennis formula est, ut altera sit plane insolita. Homerus Iliad. δ, 329.

αὐτὰρ πλησίον εἱστήκει πολύμητις Ὀδυσσεύς,

ubi obiter correptionis ante mutam cum liquida evitandae caussa ante *πλησίον* delevi articulum.

V. 1. Libri *τιθείην:* sed Platonis auctoritate nititur *τιθείμην*, quod primus inde recepit Stephanus, postea Tyrtaeo vindicavit Valckenarius ad Herodot. II. p. 172. iamque Brunckius eiusque successores in ipsa poetae verba merito receperunt.

V. 6. Versum pessime corruptum restituit Joach. Camerarius, paullulum immutata lectione *Κινύρεωβάθον*, repudiatis autem interpretamentis *μᾶλλον* et *πλέον*, nominisque forma *Κινυρέοιο*, et Stephanica *Κινύραο*.

V. 12. Comma posui post *ὀρέγοιτ'*, improbans Koeppenii et nescio an editorum omnium interpretationem. Ille nimirum iungendum putat *ὀρέγοιτ' ἱστάμενος*, idque exponit *cuperet stare*, *ἱστάμενος* pro *ἱστάναι:* quod ut refellam, non erit necesse. Immo ordo est *δηΐων ὀρέγοιτ'*, *se hostes versus extenderet*, iamque additum absolute *ἐγγύθεν ἱστάμενος*, quomodo etiam acceptum

ἣ δ' ἀρετή, τό τ' ἄεθλον ἐν ἀνθρώποισιν ἄριστον,
κάλλιστόν τε φέρειν γίγνεται ἀνδρὶ νέῳ.

video ab Aug. Matthiae Grammat. Gr. p. 449. Alio sensu, sed eadem significatione ὀρέγεσθαι cum casu gignendi construitur iam apud Homerum Iliad. ζ, 466. οὗ παιδὸς ὀρέξατο Ἕκτωρ, *filium versus Hector se extendebat.*

V. 13. et 14. Ante Brunckium ex edito Stobaeo legebatur ἡ δ' ἀρετὴ τόδ' ἄεθλον etc. Quod quum aperte sit vitiosum, nec tamen melius est, quod e scripto Stobaeo restituit Brunckius:

ἣ δ' ἀρετή, τό γ' ἄριστον ἐν ἀνθρώποισιν ἄεθλον,
κάλλιστόν τε φέρειν γίγνεται ἀνδρὶ νέῳ.

Videlicet non potest ferri particula γέ, nisi mutilam in fine sententiam credas, hoc modo: *Haec autem virtus, quae quidem optimum inter homines praemium est, quaque nihil praestantius iuvenis consequi potest,* — —. Propius ad verum accedit altera lectio, quae eadem exstat apud Theognidem v. 997. ed. Wintert. ubi et hoc et sequens distichum ita legitur:

ἡ δ' ἀρετὴ τόδ' ἄεθλον ἐν ἀνθρώποισιν ἄριστον,
κάλλιστόν τε φέρειν γίγνεται ἀνδρὶ σοφῷ.
ξυνὸν δ' ἐσθλὸν τοῦτο πόληΐ τε παντί τε δήμῳ,
ὅς τις ἀνὴρ διαβὰς ἐν προμάχοισι μένοι.

unde pro varia lectione affertur σοφῷ. Male: νέῳ Tyrtaei est, σοφῷ Theognidis, in quo nonnisi posterius distichum a Brunckio deleri debebat. Quippe discerptus ac laceratus misere Theognidis locus e v. 965. (949.) seq. 997. seq. et 1001. (981.) seqq. ita est restituendus:

τίς δ' ἀρετὴ πίνοντ' ἐπιοίνιον ἆθλον ἑλέσθαι;
πολλάκι τοι νικᾷ καὶ κακὸς ἄνδρ' ἀγαθόν.
ἣ δ' ἀρετή, τό τ' ἄριστον ἐν ἀνθρώποισιν ἄεθλον,
κάλλιστόν τε φέρειν γίγνεται ἀνδρὶ σοφῷ
(ξυνὸν δ' ἀνθρώποις ὑποθήσομαι), ὄφρα τις ἥβης
ἀγλαὸν ἄνθος ἔχων καὶ φρεσὶν ἐσθλὰ νοῇ,
τῶν αὐτοῦ κτεάνων εὖ πασχέμεν. οὐ γὰρ ἀνηβᾶν
δὶς πέλεται πρὸς θεῶν, οὐδὲ λύσις θανάτου
θνητοῖς ἀνθρώποισι· κακὸν δ' ἐπὶ γῆρας ἐπείγει
οὐλόμενον, κεφαλῆς δ' ἅπτεται ἀκροτάτης.

Quam ego versuum dispositionem ambitiose tueri nolo, sed spero per se placituram. Utitur autem Theognis Tyrtaei verbis in

ξυνὸν δ' ἐσθλὸν τοῦτο πόληΐ τε παντί τε δήμῳ,
ὅς τις ἀνὴρ διαβὰς ἐν προμάχοισι μένῃ
νωλεμέως, αἰσχρᾶς δὲ φυγῆς ἐπὶ πάγχυ λάθηται,
ψυχὴν καὶ θυμὸν τλήμονα παρθέμενος,
[θαρσύνῃ δὲ πεσεῖν τὸν πλησίον ἄνδρα παρεστώς·
οὗτος ἀνὴρ ἀγαθὸς γίγνεται ἐν πολέμῳ.]
αἶψα δὲ δυσμενέων ἀνδρῶν ἔτρεψε φάλαγγας
. . . . .

re longe diversa, plane ut alio loco, de quo dictum in prooemio p. 166. Et nostro quidem disticho: *ἡ δ' ἀρετὴ* etc. iisdem paene verbis recepto, subiungit haec: *ξυνὸν δ' ἀνθρώποις ὑποθήσομαι,* quae nemo non videt spectare proximum in Tyrtaeo distichum: *ξυνὸν δ' ἐσθλὸν τοῦτο* etc. Quae res permovit librarium, ut hoc quoque isti Theognidis loco inculcaret. Sequentia: *ὄφρα τις ἥβης ἀγλαὸν ἄνθος ἔχων*, iam ante vidimus et ipsa esse e Tyrtaeo expressa, cuius eadem fere verba sunt I, 22. Ceterum revocavi codicum lectionem *ἔχων*, quam sollicitare non opus est, dummodo *καὶ etiam* exponas. Reliquit etiam tacite, ut video, hanc lectionem Bekkerus, cui praeterea *τῶν αὐτοῦ* scribenti versu proximo non assentior, satius esse ratus, in Theognide quidem nihil mutare. Ex Homerico sermonis usu dicendum fuisse *ὧν αὐτοῦ*, ex iis patet, quae dicta sunt ad I, 27. Probitatem animi conditionem ponit poeta, ut Epicurus, sine qua iuvenis bonis suis frui cum voluptate nequeat. Dicitur autem ipsum illud *εὖ πάσχειν* latiore significatione *ἀρετή*. Similiter v. 653. (661.) seq.

Εὐδαίμων εἴην καὶ θεοῖς φίλος ἀθανάτοισιν,
Κύρν'· ἀρετῆς δ' ἄλλης οὐδεμιῆς ἔραμαι.

Eo in disticho, de quo quum maxime agitur, nihil aliud quam *τό τ' ἄριστον* scripsi pro inepto *τόδ' ἄριστον*, ut sit sententia: *Sed ea virtus, quae et optimum inter homines praemium est, et pulcerrimum, quod consequi possit vir sapiens, haec est, bene frui opibus suis, donec* etc. Eodem modo correxi apud Tyrtaeum: sed ibi alia est sententia. Dixerat enim Tyrtaeus, ne mentione quidem dignum esse virum, nisi caedem cruentam adspicere cominusque pugnare audeat, iamque sic pergit: *Haec vero est ea virtus, quae et optimum inter homines praemium est, et pulcerrimum, quod iuvenis possit contingere.*

V. 16. *Ὅς τις* divisim, *ὅτις* iunctim esse scribendum, utriusque pronominis flexio declarat.

τρηχείας, σπουδῇ τ' ἔσχεθε κῦμα μάχης·
αὐτὸς δ' ἐν προμάχοισι πεσὼν φίλον ὤλεσε θυμόν,
ἄστυ τε καὶ λαοὺς καὶ πατέρ' εὐκλεΐσας,
πολλὰ διὰ στέρνοιο καὶ ἀσπίδος ὀμφαλοέσσης,
καὶ διὰ θώρηκος πρόσθεν ἐληλαμένος.
τὸν δ' ὀλοφύρονται μὲν ὁμῶς νέοι ἠδὲ γέροντες,
ἀργαλέῳ τε πόθῳ πᾶσα κέκηδε πόλις·
καὶ τύμβος καὶ παῖδες ἐν ἀνθρώποις ἀρίσημοι
καὶ παίδων παῖδες καὶ γένος ἐξοπίσω.
οὐδέ ποτε κλέος ἐσθλὸν ἀπόλλυται, οὐδ' ὄνομ' αὐτοῦ·
ἀλλ' ὑπὸ γῆς περ ἐὼν γίγνεται ἀθάνατος,
[ὅν τιν' ἀριστεύοντα μένοντά τε, μαρνάμενόν τε
γῆς πέρι καὶ παίδων, θοῦρος Ἄρης ὀλέσῃ.]
εἴ δὲ φύγῃ μὲν κῆρα τανηλεγέος θανάτοιο,
νικήσας δ' αἰχμῆς ἀγλαὸν εὖχος ἕλῃ,
πάντες μιν τιμῶσιν, ὁμῶς νέοι ἠδὲ παλαιοί,
πολλὰ δὲ τερπνὰ παθὼν ἔρχεται εἰς Ἀΐδην.
[γηράσκων δ' ἀστοῖσι μεταπρέπει, οὐδέ τις αὐτόν
βλάπτειν οὔτ' αἰδοῦς οὔτε δίκης ἐθέλει·
πάντες δ' ἐν θώκοισιν, ὁμῶς νέοι οἵ τε κατ' αὐτόν,
εἴκουσιν χώρης, οἵ τε παλαιότεροι.]
ταύτης νῦν τις ἀνὴρ ἀρετῆς εἰς ἄκρον ἱκέσθαι
πειράσθω θυμῷ, μὴ μεθιεὶς πολέμου.

V. 35. Restitui, quod codices exhibent, *εἴ δὲ φύγῃ*: quam Brunckius soloecam esse constructionem pronunciat. Sed vide Hermannum ad Viger. p. 831. ed. nov.

V. 39. Dudum correctam, quae fuit apud Stobaeum, librarii aberratio, *μετατρέπει*.

V. 42. Recte Brunckius ex Theognide *εἴκουσι χώρης*, pro eo, quod habent libri, *εἴκουσ' ἐκ χώρης*: modo ne omittendam censuisset litteram *ν* paragogicam. Qua de re melius hodie edocti sumus a Wolfio et Hermanno.

V. 44. Vulgo *πόλεμον*. Correxi ex margine Stobaei, ut unus

III.

ΕΚ ΤΩΝ ΑΥΤΩΝ.

ἀμφ' αὐτὴν δ' ἐμάχοντ' ἐννεακαίδεκ' ἔτη IV, 1.
νωλεμέως, αἰεὶ ταλασίφρονα θυμὸν ἔχοντες,
αἰχμηταὶ πατέρων ἡμετέρων πατέρες.
εἰκοστῷ δ' οἳ μὲν κατὰ πίονα ἔργα λιπόντες
φεῦγον Ἰθωμαίων ἐκ μεγάλων ὀρέων.

* * * * * * * * *

ὥσπερ ὄνοι μεγάλοις ἄχθεσι τειρόμενοι, VI, 1.
δεσποσύνοισι φέροντες ἀναγκαίης ὕπο λυγρῆς
ἥμισυ πᾶν, ὅσσον καρπὸν ἄρουρα φέρει.

* * * * * * * * *

* * * * * * * * *

et alter antiquiorum editorum iam ante me fecerat, perperam tamen illi praeterea θυμὸν scribentes. Unice Homericum est μεθιέναι πολέμου, vulgatum atque adeo relictum a Brunckio et posterioribus μεθιέναι πόλεμον ne Graecum quidem.

V. 1. Strabonis codices ἄμφω τοίδ'. Sed veram lectionem, receptam Brunckio, servavit Pausanias.

V. 8. Pausaniae codices ἥμισυ πάνθ' ὅσσων καρπόν. Brunckius ἥμισυ πᾶν καρπῶν, οὔσπερ, quod longius etiam a scriptura librorum distat, quam Klotzianum ἥμισυ πᾶν καρπῶν, ὅσσον. Verissima Kuhnii emendatio ἥμισυ πᾶν, ὅσσον. Est autem ἥμισυ πᾶν tota pars dimidia, nihil minus, ut πάντα ἡμίσεα apud ipsum Pausaniam. Syntaxis, quae eadem est, ac si Latine dixeris *partem dimidiam, quotquot fruges*, hoc est *partem dimidiam frugum, quascunque terra gignit*, non vereor ne cui defensione egere videatur. Nemo enim ignorat, omnino relativum pronomen centies nomen adsciscere in utraque lingua. Quanquam sunt, quae de hac structura etiam nova dici et corrigi possint. Ne tamen nihil plane dixisse videar, apponam unum saltem Homeri locum, Iliad. α, 566.

μή νύ τοι οὐ χραίσμωσιν, ὅσοι θεοί εἰσ' ἐν Ὀλύμπῳ,

ubi secundum vulgarem loquendi usum θεοὶ in priore orationis membro ponendum erat.

δεσπότας οἰμώζοντες, ὁμῶς ἄλοχοί τε καὶ αὐτοί,
εὖτέ τιν' οὐλομένη μοῖρα κίχοι θανάτου.

IV. (X.)

ΕΚ ΤΩΝ ΑΥΤΩΝ.

πρίν γ' ἀρετῆς πελάσαι τέρμασιν ἢ θανάτου.

V. (XI.)

ΕΚ ΤΩΝ ΑΥΤΩΝ.

αἴθωνος δὲ λέοντος ἔχων ἐν στήθεσι θυμόν.

VI.

ΕΚ ΤΗΣ ΕΥΝΟΜΙΑΣ.

1. οἷσιν ἅμα προλιπόντες ἐρινεὸν ἠνεμόεντα V, 2.
εὐρεῖαν Πέλοπος νῆσον ἀφικόμεθα.

Fragm. IV. Post πρὶν inserui γέ, Brunckium secutus, idemque apud Homerum addendum puto, ubicunque πρὶν ante vocabula, quae digamma non habebant, productum reperitur, sive in arsi, sive in thesi. Similis Hermanni suspicio est de Aetate Script. Argonaut. p. 700. Ceterum a nemine observatum miror, in verbis Plutarchi μὴ excidisse ante hunc versum.

VI, 1. Ἐρινεὸν littera initiali maiuscula recte scribitur apud Strabonem; is enim de loco Atticae cogitavit. Sed ipse Tyrtaeus haud dubie caprificum intellexit, imitatus Homerum Iliad. χ, 145.

οἳ δὲ παρὰ σκοπιὴν καὶ ἐρινεὸν ἠνεμόεντα etc.

quibus de verbis vide Spohnium in Porsoni Adversariorum Corollario p. 18. seq. Convenerant igitur Tyrtaei comites in Attica ad caprificum quandam, atque inde fuerant in Peloponnesum profecti.

VII.

ΕΚ ΤΗΣ ΑΥΤΗΣ.

1. Πολυδώρῳ,
ἡμετέρῳ βασιλῆϊ, θεοῖς τε φίλῳ Θεοπόμπῳ, VII, 1.

VII, 1. et 2. Pausaniae codices, omisso Polydori nomine:

ἡμετέρῳ βασιλῆϊ, θεοῖσι φίλῳ Θεοπόμπῳ,

quì versus metrica difficultate laborat. Nam quum caesuram trochaicam in pede quarto interdum indulserint sibi Homerus atque Hesiodus, magnam tamen offensionem habent ii versus, in quibus vocabulum, qued istam facit caesuram, amphibrachus est, ut hoc loco θεοῖσι, praeterquam ubì vox monosyllaba antecedit, quae proxime iungatur cum illo vocabulo. Quod qui praeclare animadvertit, Hermannus de Aetate Script. Argonaut. p. 693, non tamen ausus est tentare loca, in quibus offenderat. Quo magis mihi verendum est, ne temeritatis arguar, si neque usquam apud Homerum et Hesiodum, neque in hoc Tyrtaei versu ferendum dixero amphibrachum istum, quum praesertim piaculum haberi soleat, in Homero quidquam omnino ex ingenio mutasse. Sed spero tamen, me ipsius Hermanni et similium virorum (nam imperitos non curo) assensionem impetraturum. Paucis igitur, quae ex Homero et Hesiodo ab Hermanno allata huc pertinent, pertractabo. Homerus Iliad. ι, 394.

Πηλεὺς θήν μοι ἔπειτα γυναῖκα γαμέσσεται αὐτός.

Sed hic versus, si quis alius, interpolatori debetur. Nam primum γαμεῖσθαι nusquam praeterea, certe apud Homerum, sic usurpatur, ut sit dare uxorem. Deinde superfluus est versus ille, sive orationis tenorem spectes, qui sine eo procedit optime, sive consideres, eandem rem paullo post dici his verbis v. 398. seqq.

ἔνθα δέ μοι μάλα πολλὸν ἐπέσσυτο θυμὸς ἀγήνωρ,
γήμαντι μνηστὴν ἄλοχον, εἰκυῖαν ἄκοιτιν,
κτήμασι τέρπεσθαι, τὰ γέρων ἐκτήσατο Πηλεύς.

Nam illic non potest aliud esse uxorem dare, quam facere uxorem eam, quam ipse Achilles sibi elegerit, id est instituere nuptias et dotem praebere. Alioqui repugnabit v. 397.

τάων ἥν κ' ἐθέλοιμι, φίλην ποιήσομ' ἄκοιτιν.

Idem ibid. λ, 685.

ὃν διὰ Μεσσήνην εἵλομεν εὐρύχορον,

τοὺς ἴμεν, οἷσιν χρεῖος ὀφείλετ' ἐν Ἤλιδι δίῃ.

et mox v. 697.

καὶ γὰρ τῷ χρεῖος μέγ' ὀφείλετ' ἐν Ἤλιδι δίῃ.

Quos versus ne mireris ab Hermanno commemoratos, quum tacite omiserit tales, qualis hic est Iliad. δ, 162.

σὺν σφῇσι κεφαλῇσι, γυναιξί τε καὶ τεκέεσσιν.

cuiusmodi genuinos et incorruptos quatuor vel in Tyrtaeo, plurimos apud Homerum Hesiodumque versus reperies. Nimirum illic caesura est ante, hic post vocem, quae insequitur, monosyllabam. Sed quis tulerit medium ὀφείλετο? Utrobique scribendum, si vacuus ab interpolatione locus:

ἐν Ἤλιδι δίῃ ὄφειλεν.

Post, ψ, 587.

ἄνσχεο νῦν, πολλὸν γάρ ἔγωγε νεώτερός εἰμι,

disiunctim, ut semper, scribendum ἔγω γε. Ibid. v. 760.

ἄγχι μάλ', ὡς ὅτε τίς τε γυναικὸς ἐϋζώνοιο
στήθεός ἐστι κανών, ὅν τ' εὖ μάλα χερσὶ τανύσσῃ,
πηνίον ἐξέλκουσα παρὲκ μίτον, ἀγχόθι δ' ἴσχει
στήθεος· ὣς Ὀδυσεὺς θέεν ἐγγύθεν·

vitari facillime potuisset metricum illud incommodum, dicendo βαθυζώνοιο γυναικός. Sed praeterea perplexa oratio, quae ne intelligi quidem potest, nisi durissimam admiseris assumtionem voculae ἄγχι ad στήθεος, ne quid dicam de duplici genitivo γυναικὸς στήθεος, nec minus repetitum deinde ἀγχόθι δ' ἴσχει στήθεος interpolatorem prodit certissime. Homerum sic cecinisse crediderim:

ἄγχι μάλ', ὥστε κανών, ὅν τ' εὖ μάλα χερσὶ τανύσσῃ
πηνίον ἐξέλκουσα παρὲκ μίτον, ἀγχόθι δ' ἴσχει
στήθεος· ὣς Ὀδυσεὺς θέεν ἐγγύθεν·

Ἐξέλκουσα est ἐξέλκουσά τις, ut βοήσας Odyss. ι. 473.

ἀλλ' ὅτε τόσσον ἀπῆν, ὅσσον τε γέγωνε βοήσας,

quae rarior loquendi ratio interpolationem peperisse videtur. Odyss. η, 192.

μνησόμεθ', ὥς χ' ὁ ξεῖνος ἄνευθε πόνου καὶ ἀνίης etc.

restituas levi manu:

μνησόμεθ', ὡς ξεῖνος κ' ἀπάνευθε πόνου καὶ ἀνίης.

Hesiodus denique Theog. v. 319. seq.

ἡ δὲ Χίμαιραν ἔτικτε, πνέουσαν ἀμαιμάκετον πῦρ,
δεινήν τε etc.

Sed locum vix dubito ita constituere a v. inde 313.

τὸ τρίτον Ὕδρην αὖτις ἐγείνατο λύγρ' εἰδυῖαν,
Λερναίην, ἣν θρέψε θεὰ λευκώλενος Ἥρη,
ἄπλητον κοτέουσα βίῃ Ἡρακληείῃ,
καὶ τὴν (hoc est ἣν) μὲν Διὸς υἱὸς ἐνήρατο νηλέϊ χαλκῷ
Ἀμφιτρυονιάδης, σὺν ἀρηϊφίλῳ Ἰολάῳ,
Ἡρακλέης, βουλῇσιν Ἀθηναίης ἀγελαίης,
ἠδὲ Χίμαιραν, ἀποπνείουσαν τ' αἰθόμενον πῦρ,
δεινήν τε etc.

Nam primum hanc distinctionem et correctionem ἠδὲ pro ἡ δὲ res ipsa flagitat. Deinde verbum ἔτικτε delendum vel propterea erat, quod sequebatur muta cum liquida, quae syllabam antecedentem more Atticorum corripi aegerrime patitur. Assumendum ἐγείνατο e v. 313. Insolens porro, ne dicam insulsum, ignis epitheton est ἀμαιμάκετον. Tota denique versus correctio:

ἠδὲ Χίμαιραν, ἀποπνείουσαν τ' αἰθόμενον πῦρ,
δεινήν τε etc.

mirifice confirmatur versu Homerico de eadem Chimaera, Iliad. ζ, 182.

δεινὸν ἀποπνείουσα πυρὸς μένος αἰθομένοιο.

Qui versus una cum praecedente insertus habetur ab aliena manu, ut bene iam pridem Heynius animadvertit, his ipsis versibus Hesiodeis de Chimaera, v. 323. seq. loco quidem satis inepto, nempe continuo post aliam monstri Hesiodeam descriptionem, quae cum Homerica in concordiam redigi nullo modo potest. Indidem repetenda origo lectionis ἀμαιμάκετον. Nam ibi Homerus ipsam Chimaeram vocat ἀμαιμακέτην, v. 179.

πρῶτον μέν ῥα Χίμαιραν ἀμαιμακέτην ἐκέλευσεν
πεφνέμεν.

perinde ac π, 328. seq.

ὅς ῥα Χίμαιραν
θρέψεν ἀμαιμακέτην, πολέσιν κακὸν ἀνθρώποισιν.

Unde quum apud Hesiodum ad Χίμαιραν adscripsisset nescio quis in margine Homericum istud montri epitheton, factum est, ut hoc postea ad ignem relatum expelleret genuinum ignis epitheton αἰθόμενον. Quodsi nullum e paucissimis his, quae sunt apud

*Μεσσήνην ἀγαθὴν μὲν ἀροῦν, ἀγαθὴν δὲ φυ-
τεύειν.*

* * * * * * * * *

* * * * * * * * *

* * * * * * * * *

Homerum et Hesiodum ab Hermanno observata, metricae illius licentiae exemplis sincerum tuto haberi potest: haud facile erit, qui mihi succenseat, si eandem nostro etiam Tyrtaei in versu tolerabilem esse negem. Non enim vereor, ne quis idem a Tyrtaeo exspectari posse arbitretur, quod a Theognide, cuius hic versus est, 877. (861.)

οὔρεος ἐν βήσσῃσι θεοῖσι φίλος Θεότιμος,

quem fateor nostri esse simillimum. Ac sane nonnihil dubito, annon vel huic restituenda sit paronomasia:

οὔρεος ἐν βήσσῃς (vel potius *βήσσαις*) *θεοτίμητος Θεότιμος.*

Sed solum tamen amphibrachum, non etiam ipsam caesuram illam trochaicam, necessario tollendum puto apud Tyrtaeum, non aliter atque in Odysseae versu, a nobis sic emendato:

μνησόμεθ', ὡς ξεῖνος κ' ἀπάνευθε πόνου καὶ ἀνίης,

siquidem caesura ista per se, ut raro omnino, ita tum minime idoneam mutandi caussam praebet, quum statim sequitur caesura in prima syllaba quinti pedis; quae quidem Hermanni verissima est observatio. Amphibrachum vero quo facillime expungeremus, adiungendum Theopompo putavimus collegam imperii Polydorum, adeoque ita scribendum:

Πολυδώρῳ,
ἡμετέρῳ βασιλῆϊ, θεοῖς τε φίλῳ Θεοπόμπῳ.

Omisit Polydori nomen alterumque versum paullulum immutavit ipse fortasse Pausanias, qui quidem de solo loquitur Theopompo, neque omnino affert Tyrtaei versus, nisi ut hunc regem bello Messeniaco priori finem imposuisse ostendat. Sed Tyrtaeus, si voluit Lacedaemonios ad obedientiam regibus illis praestandam impellere, ne potuit quidem, si quid video, alterum sine altero commemorare.

V. 4. Codex *ἀγαθὸν μὲν ἀροῦν, ἀγαθὸν δὲ φυτεύειν,* quod esset absurdum, etiamsi alibi legeretur versus. Correxit Buttmannus, qui hunc illi locum assignavit.

Φοίβου ἀκούσαντες Πυθωνόθεν οἰκάδ' ἔνεικαν VIII, 1.
μαντείας τε θεοῦ καὶ τελέεντ' ἔπεα·
ἄρχειν μὲν βουλῆς θεοτιμήτους βασιλῆας,
οἶσι μέλει Σπάρτας ἱμερόεσσα πόλις,
πρεσβύτας τε γέροντας, ἔπειτα δὲ δημότας ἄνδρας,
εὐθείαις γνώμαις ἀνταπαμειβομένους.

V. 5. Legebatur olim *Πυθωνόθεν, οἱ τάδε νικᾶν.* Emendavit Bryanus ex codice.

V. 8. Doricam formam *Σπάρτας* mutare non ausus sum in poeta apud Lacedaemonios degente.

V. 10. Libri *εὐθείαις ῥήτραις.* Quae si vera lectio esset, rogationes ad populum *ῥῆτραι* appellarentur, nisi forte placuerit explicatio viri doctissimi, qui mutuam coniunctionem civilem senatus et populi *ῥήτρας* hic nominari, sibi persuasissimum habet. Illum vero nominis usum non diffiteor equidem per se fortasse defendi posse e plebiscito apud Demosthenem pro Cor. p. 235. l. 21. ed. Reisk. *ἐκ τᾶς βωλᾶς λαβὼν ῥήτραν· data sibi a senatu auctoritate, rogationis ad populum ferendae.* Sed satis constat, ut apud Homerum unica vis nominis est *pactio per verba*, ita apud Lacedaemonios solas *Lycurgi leges ῥήτρας* esse vocatas. Correctionem suppeditabunt verba Plutarchi, quae praecedunt: *ὕστερον μέντοι τῶν πολλῶν ἀφαιρέσει καὶ προσθέσει τὰς γνώμας διαστρεφόντων καὶ παραβιαζομένων, Πολύδωρος καὶ Θεόπομπος οἱ βασιλεῖς τάδε τῇ ῥήτρᾳ παρενέγραψαν· Αἱ δὲ σκολιὰν ὁ δᾶμος ἕλοιτο, τοὺς πρεσβυγενέας καὶ ἀρχαγέτας ἀποστατῆρας εἶμεν, τοῦτ' ἔστι μὴ κυροῦν, ἀλλ' ὅλως ἀφίστασθαι καὶ διαλύειν τὸν δῆμον, ὡς ἐκτρέποντα καὶ μεταποιοῦντα τὴν γνώμην παρὰ τὸ βέλτιστον.* Ubi quis est, quin videat, in legis fragmento ad *σκολιὰν* intelligendum esse *γνώμαν?* Itaque Tyrtaeo etiam reddendum:

εὐθείαις γνώμαις ἀνταπαμειβομένους,

hoc est respondentes rogationibus, seu potius, ut Latine loquamur, iudicia ferentes de rogationibus regum et senatorum non detortis, vel corruptis. Atqui facillime potuit aliquis illic ad *σκολιὰν* assumere *ῥήτραν*, ex iis, quae apud Plutarchum proxima sunt: *τῇ ῥήτρᾳ παρενέγραψαν·* quod si quis fecit, non mirum, si idem sibi visus est emendasse Tyrtaeum, quum scriberet *εὐθείαις ῥήτραις.*

VIII. (IX.)

ΕΚ ΤΩΝ ΕΜΒΑΤΗΡΙΩΝ.

Ἄγετ', ὦ Σπάρτας εὐάνδρου,
κοῦροι πατέρων, πολιῆται,
λαιᾷ μὲν ἴτυν προβαλέσθε,
δόρυ δ' εὐτόλμως πάλλοντες,
μὴ φειδόμενοι τᾶς ζωᾶς.
οὐ γὰρ πάτριον τᾶς Σπάρτας.

V. 1. et 2. Pro inepto πρῶτον, vel πρότερον, veram lectionem πατέρων restituit Theod. Canterus Var. Lect. I, 10. qui primus totum fragmentum ad paroemiacos revocavit. Et exstat lectio illa in codice. Thierschius mutavit πολιῆται in πολιᾶται, et εὐάνδρου in εὐάνδρων, ordinemque verborum ita invertit:

Ἄγετ', ὦ Σπάρτας πολιᾶται,
κοῦροι πατέρων εὐάνδρων:

frustra, ut Hermannus ostendit, cui vera versuum debetur distinctio, et verborum κοῦροι πατέρων recta interpretatio: *digni patribus filii.*

V. 3. Deletum a Cantero τοὶ post μὲν deest in Tzetza, ubi ceteroqui corruptius fere, quam apud Dionem, exstat fragmentum. Melius autem antiquum προβάλεσθε, praegresso ἄγετε, ut verissime monuit Hermannus, quam Thierschiannm προβαλέσθαι.

V. 4. Quam inserendam post δόρυ iure censet Hermannus particulam δέ, ea apud Dionem et Tzetzam re vera exstat. Omitti coepit a Morellio inde. In fine versus πάλλοντες pro βάλλοντες Thierschio debetur.

V. 6. Recepi post Brunckium correctionem Canteri, quae nititur in lectionibus οὐ γὰρ πρὶν τὰς Σπάρτα, et οὐ γὰρ πατρὶ τᾶς Σπάρτας, apud Dionem, et οὐ γὰρ πάτριον τᾷ Σπάρτᾳ, apud Tzetzam.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

P. 41. l. 12. a fine adde: Novi equidem unum Graeci scriptoris locum, ubi carmina elegiaca non lugubria ἔλεγοι appellantur, Erycii Epigr. XI, 4.: sed iste poeta, si sana lectio, Romanam potuit loquendi licentiam adoptare.

p. 43. l. 14. post *Prometheo* adde: et passim omnino apud Tragicos.

ibid. l. ult. addantur haec: Aliis argumentis Epistolae illius γνησιότητα impugnare alienum. Ne cui tamen, quid velim, obscurum sit, dicendum puto, neutiquam hoc me negare, quod alibi ipse testatur, scriptam ab Ovidio esse Sapphus ad Phaonem Epistolam. Illud nego, eam, quae hodie exstat, esse Ovidii. Genuina quidem huius poetae Epistola illa, quum in collectionem Heroidum, ut nuper ostendit Werferus, ab ipso non sit recepta, tanto facilius potuit interire, ac postea nova illi ab aliquo Ovidii imitatore substitui. Omiserat autem, ut arbitror, suam Ovidius hanc ob caussam, quod exspectabat a Sabino suo Phaonis responsum, ut colligi licet ex Amor. II, 18, 34.

det votam Phoebo Lesbis amata lyram,

ubi *det* exponendum *iniquo amatoris responso cogatur dare.* Quem ad versum satis callide respexit Sapphicae illius auctor Epistolae v. 181 seqq.

Inde chelyn Phoebo, communia munera, ponam,
et sub ea versus unus et alter erit:
Grata lyram posui tibi, Phoebe, poetria Sappho;
convenit illa mihi, convenit illa tibi.

Repertam esse a recentissimo demum librario quodam germanam Ovidii Epistolam, antiquioribus, quorum codicibus adhuc usi sunt editores, ad unum omnibus ignotam, parum vel per se verisimile videretur, etiamsi nullum esset in ista omnium praestantissima, quam ferunt, Ovidiana Epistola internum fraudis vestigium.

p. 56. l. 13 et 14. del. verba: apud Plutarchum et alibi.

p. 57. l. ult. post *pronunciasse satis habeo* addatur per parenthesin: abiudicatam esse Soloni etiam a Porsono, et assignatam poetae Judaeo vel Christiano, ex Thomae Gaisfordi Poetis

minoribus Graecis, quos nondum vidi, relatum reperio in Ephem. litter. Lips. a. 1816. m. Jan. p. 220.

p. 62. l. 2. a fine post *vere* addendum: sed nimis dubitanter, nullaque Tyrwhitti facta mentione.

p. 74. l. 12 adde: In locis Virgilii, Ovidii, Statii, ista pro opinione afferri solitis, fallere facillime possunt ea, ubi ter vocari dicuntur manes etiam ad inane sepulcrum. Quanquam enim nostro quidem in naufrago id fieri non potuit, si nomen eius fuit ignotum, hoc tamen haud sine specie veritatis inde efficitur, cenotaphia ex veterum opinione ad manes placandos aliquam vim habuisse. Atqui manarunt haec loca, ut ultro apparet, et luculentius etiam mox patebit, ex male intellectis Homeri versibus, Odyss. ι, 64 seqq.

οὐδ' ἄρα μοι προτέρω νῆες κίον ἀμφιέλισσαι,
πρίν τινα τῶν δειλῶν ἑτάρων τρὶς ἕκαστον ἀῦσαι,
οἳ θάνον ἐν πεδίῳ Κικόνων ὕπο δῃωθέντες.

ubi propterea nominatim ter invocantur Ulyssis comites, ne quis vivus remaneat, minime vero, mortuorum manes ad inanem tumulum, cuius saltem aliqua mentio, si haec mens esset poetae, facienda fuisset. Fac igitur, quod quatenus concedi queat, viderint alii, his versibus Virgilium ac posteriores quosdam poetas fuisse adductos, ut quondam religiosa fuisse cenotaphia existimarent. Re vera non fuisse ea ne apud Romanos quidem religiosa, vel notissima illa hac de re Iurisconsultorum controversia declarat, quorum altera pars ad Virgilium, altera ad Divos Fratres provocabat. Addas licet Propertium, I, 17, (18,) 11 seq. ubi versari se fingit in littore deserto, ibique Cynthiam alloqui his verbis:

An poteris siccis mea fata reponere ocellis,
ossaque nulla tuo nostra tenere sinu?

Ubi qui *mea fata* ex Graeco usu nominis *μόρος* de cadavere, *reponere* autem de re funebri sic usurpatum ex Euripideo *θάψαι κενῷ τάφῳ* egregie explanavit, vir doctus in Ephem. litter. Jen. a. 1806. m. Jul. p. 92. versum minorem aeque ac Passeratius referens eo, quod ossilegium nullum erat, quum absenti cenotaphium condebatur, idem tamen amplexus est opinionem vulgarem de cenotaphiis constitui solitis ad placandas umbras errantes. Qua una in re dissentiendum est nobis a viro doctissimo, quoniam necessario haec debet esse sententia: *An sustinere sine lacrimis poteris, ita te mortuo mihi supremum honorem praestare, ut ossilegium mihi facere, iustaque sepultura manes placare nequeas?* Perspicua res et per se, et magis etiam e v. 15 seqq. ubi secum poeta reputat, quanto fuisset tolerabilius Romae manere, durosque puellae mores pervincere patientia, aut saltem, si quo mortis genere ibi sepulti et finiti dolores essent, praesenti sibi iusta persolvi a Cynthia. Quae cogitatio terminatur v. 24. isque ita se habet ex verissima Passeratii emendatione, quam tuetur etiam Broukhusius, nuperque recipere debebat Lachmannus:

Tum mihi non ullo pondere terra foret.

Quod secus erit ex mente poetae, si fuerit deserto in littore exstinctus, quamvis cenotaphium ab amica sibi condatur. Sed largiamur, legendum esse:

Illa meum extremo clamasset pulvere nomen,
ut mihi non ullo pondere terra foret.

Quid tum? Nonne vel sic eodem redibit sententia? Quid? quod prior versus certissime prodit, fictum a Virgilio ex illis Homeri versibus esse morem, vocandi manes etiam ad cenotaphia, re vera nonnisi ad sepulcra esse vocatos. Quodsi religiosa ne apud Romanos quidem cenotaphia erant: quid dicemus de Graecis? quos quominus credamus umbras placari cenotaphiis existimasse, impediunt omnia.

p. 76. l. 9. et 10. a fine pro *soli enim Romani* scrib. *antiquiorum certe, qui minime, ut Romani*, etc.

p. 88. l. 12. adde: e recensione Imman. Bekkeri:

ibid. l. 14. leg. *κλεπτομένα* pro *κλεπτομένη*.

ibid. l. 15. et 16. scrib. *τοῦ ἐσθλοῦ* et *Θεόγνιδος* per synizesin.

p. 107. l. 2. a fine mea culpa *septimum* legitur pro *quintum*.

p. 147. l. 1. adde: Eandem in correctionem video incidisse Porsonum in Adv. p. 39. ed. Angl. Sed is quidem Casauboni putat mutationem esse *τὰ ἐλεγεῖα*.

p. 161. l. 3. a fine adde: An defendi possit in iis, quae excipiunt apud Platonem Tyrtaei versum, duplex *οὔτε*, quaerere non est nostrum. Sed haud negligendus in confirmando iudicio nostro de interpolatione distichi illius alter Platonis locus, ibid. II. p. 660. E. ubi eodem respiciens: *Οὔτ' ἂν*, inquit, *μνησαίμην, φησὶν ὑμῖν ὁ ποιητής, — — οὔτ' ἐν λόγῳ ἄνδρα τιθείμην, ὃς μὴ — — δηΐων — — ὀρέγοιτο, ἐγγύθεν ἱστάμενος.* Accedit etiam ad Platonem Euripides in Med. v. 547. (542.) seqq.

εἴη δ' ἔμοιγε μήτε χρυσὸς ἐν δόμοις,
μήτ' Ὀρφέως κάλλιον ὑμνῆσαι μέλος,
εἰ μὴ 'πίσημος ἡ τύχη γένοιτό μοι,

si verum est, quod putat Porsonus, formam orationis ibi esse e nostro apud Tyrtaeum loco adumbratam. Uterque locus, certe Platonicus, (nam de Euripide non diffiteor, ambiguum posse haberi, isne omnino huc respexerit, necne,) eandem, ac primus ille Platonis, constructionem tam aperte Tyrtaeo vindicat, ut iure mireris, distichum illud usque adhuc potuisse interpolationis notam effugere.

p. 174. l. 5. a fine addendum: Ubi quod ego dedi ex coniectura, *γυναικὶ δὲ πᾶσι χαρῆναι*, in fine editionis, qua utor, Stephanicae inter varias lectiones notatum reperio, e codice, ni fallor; nam si correctio esset Gulielmi Canteri, is etiam *λέγειν* videretur scripturus fuisse.

p. 186. l. 17. pro 322. leg. 323. (320.) seqq.

ibid. l. extr. et deinceps pro verbis: *Illud monendum putavi — — substantivam*, reponatur: *Sed haec notissima.* Immerito enim omissae significationis accusavi Schneiderum, qui attigit eam v. *δάϊος*, ut casu quodam felici, dum Lexicum eius evolvo, mature satis animadverti.

OPERARUM VITIA.

Quum a me ipso propter absentiam corrigi non potuerint plagulae huius libri prelo exeuntes, benevole excusabunt lectores, quae fugerunt eruditi correctoris aciem, typothetae errata, in quibus indicandis missam feci, quam raro quidem, sed animadverti tamen, orthographiae inconstantiam, cuius exemplum est in ipso praefationis principio nominis mei scriptura, et mox *tibi*, *tua* et sic porro littera initiali modo maiuscula modo minuscula, quam ubique ego posueram, excusum, neque etiam curiose recensenda putavi vocabula quaedam non recte divisa aut vitia interpunctionis, veluti puncta (ut hic quoque, quod primum in oculos incurrit, exemplum afferam) in prima statim linea libri posita, nata illa, nisi me fallit memoria, e scripturae compendio, quod postea expleram relictis fortasse punctis, et similia leviora quaedam. Paullo diligentius commemoranda duxi commissa in accentuum notatione peccata, e quibus pauca tantum, quae minima essent, omisi. Singula tamen, etiam levissima, quae in textu Tyrtaei animadverteram, vitia religiose enumeravi. Quod pauca omnino turbant sententiam, mecum lectores debent correctoris doctissimi diligentiae.

P. VII. l. 8. a fine leg. *voluisti* pro *volnisti*. p. 4. l. 5. a fine *et somnia* pro *a somniis*. p. 24. l. 11. et p. 27. l. 11. Graecum Philetae nomen ter expressum littera initiali minuscula. ibid. l. 2. a fine scrib. δ'. pro δ'. p. 33. l. 4. et 9. male collocata sunt hexametrorum initia. ibid. l. 4. a fine leg. ἀποδέδοται pro ἀποδέτοται. p. 34. l. 3. *Sic* mutandum in *Pro*. p. 39. l. ult. pro *antiquitas* leg. *antiquitus*. p. 42. l. 18. *apud* pro *aqud*. p. 44. l. 2. ἔλεγον pro ἔλεγον. p. 56. l. 5. a fine omissa est, quam apposueram ad significaudum primi pedis defectum, transversa lineola, neque etiam recte positum hexametri fragmentum. p. 59. l. 2. leg. ἐλεγειοποιηταὶ pro ἐλεγειοποιηταί. p. 62. l. 15. ἐλελιζομένη pro ἐλελιζομένη. ibid. l. 8. a fine ὀδύρεσθαι pro ὀδύρεσθαι. p. 85. l. 8. a fine ἐκλήθη pro ἐκλήθη. p. 89. l. 11. a fine ἐξ pro ἐξ. p. 94. l. 11. *Quam* pro *Qam*. p. 95. l. 12. ἀπικέατο pro ἀπικέατα. p. 100. l. 16. *ab*
ων
pro *ob*. p. 110. l. 7. Τρῆρας (sic) pro Τρήρων. p. 116. l. 22. post *principium* deest *regni*. p. 121. l. 8. a fine lege νόμοι pro

μόμοι. p. 123. l. 9. et 10. Δευτέρᾳ pro Δευτέρα. p. 130. l. 11. a fine αὐλῳδὸς pro αὐλῳδός. p. 147. l. 17. πόλιν pro πόλιν. ibid. l. 11. a fine Λακωνικὴν pro Λακωνικήν. p. 148. l. 10. sententiam pervertit comma post Nonne positum. p. 151. l. 4. a fine leg. προσήκει pro πρόσηκει. p. 153. l. 6 — 8. turbata est versuum collocatio. p. 154. l. 10. a fine pro αἰσχρά leg. αἰσχρά. ibid. l. 8. a fine δήϊον pro δηΐον. p. 156. l. 5. στηριχθεὶς pro στηριχθείς. ibid. l. 6. στέρνα pro στέρνα. ibid. l. 12. pro αὐτοσχεδόν ἐγχεῖ scrib. αὐτοσχεδὸν ἔγχεϊ, quod recte expressum in ipsis Tyrtaei Reliquiis, sed in prooemio quater etiam praeterea depravatum, ibid. l. 11. a fine, p. 158. l. 11. et 21. postremo p. 159. l. 17. eadem errandi pertinacia, qua bis etiam Voll. II. pro Vol. II. expressum video, primum p. 177. l. 3. a fine, deinde p. 183. l. 13. a fine, et bis adeo repetitum p. 181. tam in ipsis poetae verbis, quam in annotatione, θνητὸς pro θνητός, quod contra recte excusum in prooemio p. 153. l. 7. Sed pergamus ordine. — p. 156. l. 2. a fine excidit ἀσπίδος ante ἀσπίδ'. p. 157. l. 9. a fine leg. Iliad. ν, 130. pro Iliad. ν. 130. p. 158. l. 12. scrib. οὐτάζων pro οὐτάζων. ibid. l. 7. a fine pro δεινόν leg. δεινὸν. p. 159. l. 9. vidimus pro videmus. ibid. l. 11. pro commate positum semicolon. p. 160. init. perturbata versuum collocatio. p. 161. l. 11. leg. concinnam pro concinam. p. 162. l. 7. παλαιμοσύνης pro καλαιμοσύνης. p. 163. l. 13. a fine τύμβος pro θύμβος. ibid. l. 5. a fine ne quid pro ne quidem. p. 164. l. 16. deest adeo ante deficiunt. p. 165. l. 4. leg. οἵ τε pro οἳ τε et αὐτόν in fine versus pro αὐτὸν. ibid. l. 10. a fine punctum in comma mutandum. p. 166. l. 7. scrib. ἄεθλον pro ἂεθλον et l. 15. a fine οὐδέ τις pro οὐδὲ τις. ibid. l. 3. a fine corrig. excessisse pro excesisse. p. 170. l. 15. τῆς pro τῇς. p. 171. l. 6. et 7. Varroni pro Varrone. p. 172. l. 11. a fine pro ὅν scrib. ὃν. p. 173. l. 5. pro γέροντας leg. γέροντας. p. 174. l. 7. et 8. oratoris verba versus speciem prae se ferunt. ibid. l. 11. scrib. γυναικὶ pro γυγναικί. p. 175. l. 5. pro γάρ scrib. γὰρ. ibid. l. 12. a fine Ὦ pro Ὠ et γάρ πως pro γὰρ πως. Omnino in accentus inclinatione saepe peccatum, omninoque gravis pro acuto et contra positus, cuius generis plura deinceps nonnisi e textu Tyrtaei enotabo. ibid. l. 6. a fine scrib. ὅπῃ pro ὁπῃ. p. 176. l. 2. pro μηδέ leg. μηδὲ, et comma ponendum in fine versus. ibid. l. extr. pro houestam leg. honestam. p. 177. l. 13. leg. ὑφ' pro ὑφ'. ibid. l 20. ἴστε pro ἴστι. p. 178. l. 13. a fine iungatur pro iungatut. p. 179. l. 14. et iterum p. 180. l. 7. a fine ἅ pro ἃ. ibid. l. 3. a fine τὴν pro τήν. p. 181. praeter molestum errorem, quo in textu pariter atque in annotatione θνητὸς posuit typothета pro θνητὸς, etiam l. 7. ἄνθος exstat pro ἄνθος, et l. 9. a fine προθύροισιν pro προθύροισιν. p. 182. l. 2. leg. πίονας pro πιόνας. ibid. l. 6. οὕς κεν ἵκηται pro οὓς κεν ἵκηται. ibid. l. 3. a fine Wintertono pro Wintertone. p. 184. l. 1. punctum in comma mutandum. ibid. l. 11. scrib. γίγνεται pro γιγνεται et εἰσοπίσω τελέθει pro εἰσοπίσω τελέται. p. 185. l. 4. δὲ pro δε. ibid. l. 2. a fine peior pro prior. p. 186. l. 5. post Nos inserendum quod. ibid. l. 14. leg. τινὰ pro τινα et μετάφρενον pro μέτάφρενον. ibid. l. 4. a fine δηΐων pro δηΐον. p. 187. l. 3. διαβάς pro διαβὰς. ibid. l. 10. a fine receptum pro rccptum. ibid. l. 4. a fine μιν pro μεν. p. 188. l. 11. ὅ pro ὃ. ibid. l. 13. ἕλε pro ἑλε, ut omittam l. 23. μὲν ῥ' positum non

inclinato accentu. p. 189. l. 9. a fine divisim scrib. *Κινύρεω βάθον*. p. 190. l. 10. leg. *ἀνθρώποισιν* pro *ἄνθρώποισιν*. ibid. l. 12. a fine *ἐπιοίνιον* pro *ἐπιοίνιον*. ibid. l. 8. a fine *ὑποθήσομαι* pro *ὑποθήσομαι*. p. 191. l. 1. pro *ἐσθλόν* leg. *ἐσθλὸν*. ibid. l. 2. a fine scrib. *Ὅς τις* pro *Ὅς τις*. p. 192. l. 14. *εἰ* pro *εἴ*. ibid. l. 7. a fine *correcta* pro *correctam*. ibid. l. 5. a fine *εἴκουσι* pro *εἴκουσι*. p. 193. l. 4. et 6. *θυμὸν* et *οἳ βαρυτόνως*. p. 194. l. 17. a fine in marg. leg. 3. pro 2. ibid. l. 4. a fine *vide* pro *vlde*. p. 195. (male excusum 295. et deinceps 296. et 297.) l. 10. *quod* pro *qued*. p. 196. l. 7. *σφῇσιν* addita littera *ν* paragogica. ibid. l. 17. et p. 198. l. 19. *ὡς* pro *ὧς*. p. 196. l. 13. a fine *deinde* pro *deindo*. ibid. l. 10. a fine *ἄγχι* accentu caret et *τανύσσῃ* iota subscripto. ibid. l. 3. a fine disiunctim scrib. *ὁ ξεῖνος*, et *καὶ* pro *καῖ*. p. 197. l. 16. a fine scrib. *aliena* pro *a liena*. ibid. l. 5. a fine *ἀνθρώποισιν* pro *ἀθρώποισιν*. ibid. l. 3. a fine *monstri* pro *montri*. p. 198. l. 15. *Θεότιμος* pro *Θεότιμος*. p. 199. l. 3. *μὲν* pro *μὲν*. ibid. l. 5. *ἔπειτα* pro *ἔπειτα*. ibid. l. 13. a fine *ἀρχαγέτας* pro *ἀρχαγετας*.

ORDO VERSUUM BRUNCKIANUS CUM NOSTRO COLLATUS.

I, 1—18.	—	—	—	I, 25—42.
I, 19—30.	—	—	—	I, 13—24.
II, 1—10.	—	—	—	I, 3—12.
II, 11—38.	—	—	—	I, 43—70.
III. — —	—	—	—	II. — —
IV. — —	—	—	—	III, 1—5.
V, 1 et 2.	—	—	—	I, 1 et 2.
V, 3 et 4.	—	—	—	VI. — —
VI. — —	—	—	—	III, 6—10.
VII. — —	—	—	—	VII, 2 et 3.
VIII. — —	—	—	—	VII, 5—10.
IX. — —	—	—	—	VIII. — —
X. — —	—	—	—	IV. — —
XI. — —	—	—	—	V. — —

1880




Princeton University Library
32101 056169145